SCHROTERI
COMMENT
ARIA
1585








IV 1.

COMMENTARIA,

IOANNIS FRIDERICI SCHRO-TERI D. IN LIBRVM HIPPOCRATIS Περὶ φύσεως ἀνθρώπου.

QVIBVS ADIECTAE SVNT DIGRESSIONES DVAE eiusdem Autoris,

DE PROPAGATIONE ET Autoribus Philosophiæ.

Nec non

DE PRÆCIPVIS, ILLVSTRIVM Philosophorum ante Aristotelem circa principia generationis, opinionibus.



15 85

GENAE,
EXCVDEBAT TOBIAS STEINMAN.



ILLVSTRI AC GENEROSO COMITI BVRCARDO, COMITI ET DOMINO A BARBY, ET Mulingen, Sacræ Prutenicæ Militiæ per Thuringiam præfecto, nec non illustrissimarum aularum Saxonicarum, Dresdensis & Coburgensis, Proprincipi.

DOMINO SVO CLEmentißimo.

NIHIL DVBITO, Comes Generose, cõplures fore, qui meam πολυγραφίαν, quòd ita facile mea, quæ in grauissimorum autorum libros conscripsi, commentaria in publicum emittam, reprehensuri, & argumentum inde certissimum, arrogantiæ & φιλαυτίας in me, petituri sint, Id enim olim ij, solùm

attentarunt, qui autoritate va-
lebant, ætate etiam matura &
iudicio erant confirmato. Ab
hoc igitur proposito ætas mea
iuuenilis auocare me debebat:
Verùm, qui hanc de me peruer-
sam & falsam conceperunt opi-
nionem, maiorem omnes in
modum oro, vt tantisper suum
suspendant iudicium, donec
mei consilij rationem plenius
& rectius cognoscant: futurum
enim omnino est, vt æquiores
sint iudices. Non pretexã autem
instituto meo exempla pluri-
morum retro annorum, quibus
non senibus modò, verum &
iuuenibus dicendi, scribendi,
interpretandiq; aliorum libro-
copia & potestas facta est, vt hi-
storiæ testantur: non me refe-
ram

ram ad mores Italiæ, quæ pene ſola hodie ſtudiorum eſt mater, ex qua eruditiſſima iuuenum ſcripta ac commentationes doctiſſimæ plures, ad nos ſunt allatæ, afferuntur etiam hodie frequentes, poſſet tamen hæc ratio ſatis me excuſare: Sed grauiorem aliam huius mei conſilij & facti cauſam, præſertim circa editionem præſentis huius libelli (priores enim cur in publicum emiſerim, cuilibet præfixa oratio ſatis lectorem edocebit) afferam. Prouincia, publicè exponendi Hippocratis de Natura humana librum, mihi decernebatur à ſuperioribus in Academia Genenſi. Eam adminiſtrando, aliter nonnulla prædicti autoris verba exponebam,

bam, quàm reliqui interpretes soliti sunt facere. Cur id fecerim cognoscet diligens lector in ipsa commentationis nostræ serie. Hanc meam declarationem complures qui cognouerunt valde probabant, desiderioque incredibili, plenius cognoscendi & perlegendi eam, se ardere significabant, ac proinde, vt literis meas istas lucubrationes obsignarem, efflagitabant & vrgebant. Ego, quia non potui, vel apud me, vel apud alios, quicquam hactenus inuenire, quod expositionem factam retro agere, me commoueret, ex illis præterea, qui publicationem vrgebant, essent in quorum iudicio acquiescere honestum, voluntati verò ipsorum

rum

rum refragari impium erat, committere non potui, quin æquiſſimis ipſorum poſtulatis gratificarer. Vt tamen magis perſpicua eſſent omnia, quæ ibi dicuntur, ſtudioſo Lectori, & rectius cognoſcerentur etiam alia, quæ ſuperioribus annis à nobis, in. 1. περὶ ἀρχῶν Ariſtotelis, conſcripta ſunt, adieci binas Digreſſiones, vnam de propagatione & præcipuis inuentoribus Philoſophiæ, alteram de illuſtrioribus philoſophorum, qui ante Ariſtotelem fuerunt, circa principia generationis, opinionibus, quas ambas quoq; ante aliquot annos multi abs me efflagitabant vnicè doctiſſimi viri & iuuenes. Non igitur vt vel ingenium, quod ſentio

quàm ſit in me exiguum, vel eruditionem, quantam ex optimarum artium ſtudijs ac diſciplinis mihi comparaui,& comparabo ſolidiorem iuuante Domino in poſterum quoq;, oſtentarem, quod vitium penitus odi & deteſtor, has meas commentationes publicè extare voluí, ſed potius, vt pietatem meam, obſeruantiam, & animum gratificandi, alijs defuiſſe nunquam teſtatum facerem: id quod ſi ætati meæ iuuenili anteruli, haud propterea repræhendendum me, ſapientiores iudicabunt.

Cæterum inquirenti mihi huic meæ commentationi patronum, en occurrebat tua, Comes Illuſtris Burcarde, Generoſitas,

rositas, cui vt hos ingenij mei fructus dedicarem, ac submissè offerrē, duæ me impulerūt causæ: Altera est studium pietatis & insignis in te, erga bonas literas, honestas artes, earumque cultores, amor atq; clementia. Hæc quia perspecta sunt cunctis, nolo ea pluribus hoc loco prædicare, vnum hoc addo, hunc, quem tribuunt Illustres quædam adhuc in Germania personæ artibus honorem, incitare non parum ad literarum studia adolescentes, ideoque quòd bene constitutæ nondum sint abolitæ Respublicæ, quòd reperiatur adhuc cætus piorum, & pura Euangelij doctrina, illis secundum Deum optimum Maximum acceptum est

 feren-

ferendum. Altera continet be⸗
neficiorum, tuæ, erga familiam
noſtram, generoſæ Dominati⸗
onis, magnitudinem & multi⸗
tudinem. Nam vt taceam meri⸗
ta tua in patrem meum, tantam
ego, ex Italia & Gallia redux, ex⸗
pertus ſum gratiam & clemen⸗
tiam, vt niſi immenſum eſſe
quod Generoſitati tuæ debeo,
agnoſcerem, meritò iniuſtus
nominarer. Hoc igitur imme⸗
moris animi crimen vt à me ex⸗
cuterem, volui hæc mea opu⸗
ſcula ad te mittere, & ſub præ⸗
clariſſimo ac illuſtri tuo nomi⸗
ne publicare. Quæ vt Generoſa
tua Dominatio clementer hila⸗
riꝙ fronte ſuſcipiat, & patroci⸗
nio ſuo perpetuo tueatur, etiam
atꝙ etiam maiorem in modum
ſub⸗

ſubmiſsè ac reuerenter peto. Trinus in vnitate Dominus diuturnam ſanitatẽ, animi, corporis ac fortunæ bona omnia liberaliter, mentemq; puram Generoſitati tuæ largiatur perpetuo. Vale, Comes Generoſiſſime, optime. Dat. Genæ. Prid. Calend. Ianuarij, Anni à partu Virginis.

cIↄIↄxxcv.

TVAE Generoſæ Dominationis Obſeruantiſſimus

Ioannes Fridericus
Schroter, D.

Errata grauiora ſic corrige.

C.3.col.1.lin.4.quę,lege qui,E.5.c.1.lin. 14. lege debere aiunt aduerſarij. F.5.c.1.l.10. pro imaginari,lege,intelligi. G.6.c.2.l.5.pro ſolæ l.ſola.G.7.c.2.l.7.quorum l.quæ.H.4.c. 2.l.19.πωρoπoιίαν. I. 2.c.1.l.16.quæ tactu metiuntur l.quas tactu metimur. I.5.c.1.l.17.l. Aſclepiades.M.4.c.1.l.20. autem quod ſicut. l.autem ſicut. N.3.c.2.l.21.peripatheticā l. peripateticā. N.8.c.1.l.10. diuinam l.diuinæ.O. 8.c.1.l.24. Encad.l. Enneade.P.1.c.1.l.21.ſeruent l.ſeruent, obtinent P.1.c.2.l.23.ad quarum l.ad harū. P.3 c.1.l.6.9.Metaph.l.8.Metaph. P.8.c.1.l.24.repugnantē l.pugnantem. Q.2.c.2.l.24.omitte,ex quolibet. Q.4.c.2. l.2.ἐξ l.ἐξ.

IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE NATVRA HVMANA commentaria.



TSI NON SVM nescius solere interpretes antequam autorum libros exponant multa præfari, præsertim verò in medicorum schola, de medicinæ definitione, diuisione, vsu, præstantia, subiecto, medicorum sectis & medicæ artis autoribus, alijsq; id genus dici: tamen constitui mecum mox ad libri huius expositionem accedere, tùm quod pleraq; illorum in progressu tractare necesse sim habiturus, tum quod alia ad propositum nostrum minus faciant & alibi rectius doceantur.

ΤΟΥ ἹΠΠΟΚΡΆΤΟΥΣ ΠΕΡῚ ΦΎΣΕΩΣ ἈΝΘΡΏΠΟΥ.

QVANQVAM QVATVor fuerint Hippocrates Coi quorum mentio fit in libro epistolarum Hipp. epist. 2. in cõmento. 1. super 2. de nat. hum. apud Gal. & 1. de victus rat. in morbis acutis comm. 18. Hippocrates Auus Gnosodici filius, Heraclidæ pater, Hippocrates Magnus, Heraclidę filius, Hippocrates nepos, Thessali Magni Hippocratis filij, natus, Hippocrates nepos Draconis, itidem Magni Hippocratis filij, natus: intelligimus tamen hoc loco Magnum Heraclidæ filium duntaxat. Ea enim quam continet liber hic doctrina fundamentum est omnium aliorum qui ab ipso conscripti sunt librorũ; consueta etiam Hippocratis Magni grauitate, breuitate & Methodo proponitur. Dico liber hic. Nam quẽ sibi habet iunctum alterum non à grauitate duntaxat, verum etiam à sententia Magni Hippocratis in plerisq; recedere cum Galeno im commento præsertim 6. super illum affirmo, & vel Polybi, qui discipulus

Magni erat Hippocratis, vel Hippoc: nepotis, Thessali filij, esse arbitror. Expositioné nostrã confirmãt cum Plato, tũ Galenus. Plato. n. (qui vt Galenus in fine comenti super hunc librũ inquit, proximus ijs temporibus fuit, quibus floruere Hippocratis discipuli) in Phędro libellum hunc sub nomine Magni Hippocratis citat, quando ait: εἰ μὲν οὖν Ἱπποκράτει τῷ τῶν ἀσκληπιαδῶν δεῖ πείθεσθαι, οὐδὲ περὶ σώματος ἄνευ τῆς μεθόδου ταύτης &c. Galenus verò non modo idem nobiscum sentit, verum etiam quamplures qui artis Hippocraticæ gnari sunt, hunc librum Magni Hippocratis esse, sensisse affirmat, vt in principio commenti eius videre est. Et in fine totius commentationis eius hæc leguntur: Si discipulorum Hippocratis Magni cuiuspiam fuisset liber hic, illius quoq; nomen haberet inscriptum, quum ante Regum Alexandriæ & Pergami tempora, qui plurimum in comparandis libris veteribus contendebant, nullus liber falsò inscriptus circumferebatur.

Item. Nam nec cuiquã erit verisimile. Hippo. in omnibus suis inuentis, tum ad medendi tum ad præsagiendi rationem pertinentibus, vti elementis & eis tanquam demonstratis, quorum tamen alioqui nullam vllibi demonstrationem scripserit.

φύσεως.) significat hoc loco φύσις Hippocrati partem alteram compositi; quod est corpus humanum, materiam nempe, οἰκεῖαν tamen & ἐσχάτην formæ humanæ. Vnde Plato eam σώματος φύσιν distinctam à natura animæ, de qua prius dixerat, appellat. Colligitur eadem sententia ex Hippocrate. Ex elementis enim & humoribus eam esse constitutam affirmat, id quod de formis & anima conuenienter dici non potest. Vbi enim Hippocrates animam cum temperamento ex humoribus producto confundit, Medicum agit, & curationem potius respicit, quàm propriam formarum naturam & essentiam, præsertim cum vltimationem materiæ secum

cum ſimul formæ inferre eſſentiam perſpectum haberet. Voluit amplius Hippocrates hac voce monere Lecto-rem, librum hunc ad eam medicinæ partem pertinere, quæ φυσιολογικὴ vocatur, & de principijs corporis humani ex quibus conſtituitur differit. Rectiſ-ſimè enim diuiduntur libri, qui ad no-ſtras manus peruenerunt, & ſub nomi-ne Magni Hippocratis circumferun-tur, ſecundum numerum medicinæ partium quinarium (hæc enim inter reliquas medicinę diſtinctiones ſiue il-læ à materia quam conſiderat, vel à re quam tractat, aut ab ijs quæ in medi-cando requiruntur, quomodo Hippo-crates 1. epid. comment. 2. tex. primo artem Medicam conſtare dicit, morbo, Medico, ægroto, ſumãtur eminet.) Igi-tur Phyſiologicos alios puta librũ de natura humana, de genitura, de parti-bus corporis, de humoribus &c. Non-nullos Pathologicos puta libellum de Dentitione, de morbo ſacro, de morbis

& affectionibus, de popularibus morbis, de vlceribus, de fiſtulis, de hæmorrhoidibus. Quoſdam Hygi_nos, de diæta nempe, de alimentis, de alimentorum humidorum vſu. Alios ſim_o_ticos, vt librum de inſomnijs, de Iudicationibus, de prænotionib⁹, de prædictionibus. Et tandē aliquos Therapeuticos, vt eſt liber de corporum refectione, de medicamentis purgantib⁹ &c. dicamus. Obſeruare tamē oportet, quoſdā nempe eſſe, qui pluribus quàm vni medicinæ parti attribui poſſunt, eoſq; vel Iſagogicos eſſe, vt qui de pręceptionib⁹ medicis, de iuramēto, inſcribūtur. Vel communes duntaxat, quales ſunt illi in quibus exempla medica accumulantur. Item libri Aphoriſmorum. Ab hac claſſe nō ſunt remouendi plane etiam libri Epidemiorū. Sed forſan & alios plures huc referre non eſt incōueniens. Sunt .n. & inter particulares qui vnius ſaltem argumenti non exiſtunt.

ἀνθρώπου.) Etſi vnius totalis ſcientiæ

vnum

vnum est subiectum, quod adæquatum Philosophi appellant, tamen quælibet rursus pars eiusdem scientiæ propriam habet materiam circa quam versatur; quæ quidem respectum habet ad τὸ πρῶτον δεκτικὸν totius, vel similem ei, qui est speciei ad genus, Vel ei, qui est principiorum & componentium ad principiata & composita. Vel ei, qui est affectionum ad subiecta. Quapropter meritò Hippocrates noster subiectum libri assignare volens, dixit: περὶ φύσεως ἀνθρώπου Indicauit enim non modo adæquatum artis Medicæ subiectum, quod est corpus humanum, quo distinguitur ars medica à veterinaria, quæ bruta animalia, præsertim ea quæ oneribus ferendis sunt idonea, vnde & nomen obtinuit veterinaria quasi vectirinaria, Vel vt Festo placet, à ventre, quo onus religatum animalia illa gerunt quasi venterinaria, consideranda & tractanda suscipit: Verum etiam respectum, quem habet id, quod

 in

in præſenti libro, qui partē medicinæ tractat, explicatur, ad totius artis Medicæ ſubiectum; Eſt autem is principiorum ad principiata. Quod ſi ergo inquiramus libri huius ſubiectum, ex titulo mox colligemus, id nempe eſſe principia ex quibus cōſtituitur corpus humanū in quantum ſanū morbos recipere vel morboſū ſanitatis denuo capax fieri poteſt. Sed dicet aliqs veſtrū: Scientia & ars ſunt æternorum ac vniuerſalium. Corpus humanum eſt corruptibile & ſingulare. Ergo de ipſo non habetur ſcientia vel ars. Et per conſequens corpus humanum non eſt ſubiectum Medicinæ. Præterea expreſsè Galenus in principio libri de ſectis, ad eos qui introducuntur, inquit: Sanitatem non eſſe finem artis medicæ, ſed ſcopum, finem vero poſſeſſionem ſanitatis exiſtere. Imo cap. 8. lib. de part. artis medicæ inquit, corpus humanum quodammodo & ſecundam artis medicæ eſſe materiam, & per accidens.

cidens. Rurſus ſic inquit Ariſtoteles 4. Metaphyſ. text. 2. Ens multipliciter dicitur, ſemper tamen ad vnam quandam naturam, quemadmodum τὸ ὑγιεινὸν πρὸς τὴν ὑγίειαν, καὶ τὸ ἰατρικὸν πρὸς τὴν ἰατρικήν. Nunc infero: Ens eſt ſubiectum Metaphyſicæ. Ergo & ſanum erit ſubiectum medicinæ aut ſanitas, quandoquidem omnia ad hanc in medicina referantur, principia item eius & affectiones conſiderentur, quæ omnia ad naturā ſubiecti ſeu ὑποκειμένου pertinent.

Ad has inſtantias reſpondeo, & ad primam quidem, diſtinguendo minorem, quoniam corpus humanum bifariam conſiderari poteſt: vel in particulari pro vt principijs indiuiduantibus determinatur h. e. vt in Socrate, Ioanne & Paulo eſt, atq; ſic corruptibile exiſtit, nec ſubijcitur arti medicæ conſiderandum. Vel in vniuerſali, quatenus eſt in animali rationali non reſpiciendo quod in Socrate ſit, Ioanne vel Platone. Et hoc modo non habet, nec

in se includit, quâ tale, materiam signatam indiuidualem, & consequenter corruptibile non est, sed conueniens artis medicinalis ὑποκείμενον. Vt vt verò ars sit vniuersalium, artifex tamen non nisi particularia indiuiduata tractat, Ad secundam. Ex eo quod sanitas est scopus medicinæ non sequitur eandem esse etiam subiectum. Scopus enim a subiecto differt & incidit in rationem finis non quidem cui, quia hic est τῆς ὑγιείας κτῆσις, sed cuius gratia in subiecto operatur medicus. Materiæ etiam significatio latior est quàm subiecti, cum quicquid in arte traditur, & quicquid ars efficit, eiusdē materia dici queat, non tamen subiectum. Vnde rectè Galenus assumens materiam pro eo quod intendit medicina efficere & conseruare, corpus humanum, inquit, esse secundariam & per accidens medicinæ materiam. Per se enim & primo intendit in corpore humano sanitatem conseruare vel restituere.

Ad tertiam. Concedo τὸ ὑγιεινὸν & τὴν ὑγίειαν cõſiderari ab arte medicinali, verum vt ſunt corporis humani affecti-ones aut proprietates; ſimiliter etiam in gratiam corporis humani principia ſanitatis, quæ affectio eſt illius, conſi-derantur; neq; aliud volebat loco cita-to innuere Ariſtoteles, quàm pertine-re ad vnam ſcientiam de omni Ente quâ Ens diſputare, quemadmodum ad vnam medicinam de vno corpore ſano diſſerere, id quod nec nos imus inficias. Conſtare igitur debet τὸ πρῶτον δεκτικὸν ἰατρικῆς eſſe corpus humanum in quantum ſanari & ægrotare poteſt, Id ꝙ Ariſtoteles ipſe. 1. Artis Rhetor. ad Theod. cap. 2. Et Gal. etiam in Thraſib. cap. 28. fatentur. Præſertim verò id per-ſuadere debet nobis, quòd omnium, quæ arti medicæ ſubijciuntur, ſit no-tiſſimum corpus humanum, quòd ad id omnia attributionem habent, & quòd de eo per propria ipſius princi-pia demonſtrentur paſſiones, quæ om-

nia per-

nia pertinent ad ſubiecti veri naturam; diſtinguitur & per idem medicina à veterinaria; Et tandem finis vel ſcopus medicinæ eſt ſanitas, non ſubiectum, in quo operationes ſuas exercet.

TEXTVS I.

Ὅστις μὲν εἴωθεν ἀκούειν λεγόντων ἀμφὶ τῆς φύσιος τῆς ἀνθρωπίνης, προσωτέρω ἢ ὅσον αὐτέης ἐς ἰητρικὴν ἀφίκει, τουτέω μὲν οὐκ ἐπιτήδειος ὅδε ὁ λόγος ἀκούειν.

Poſtquam Exordio beneuolum auditorem, intentionem ſuam declarando, dum oſtenſurum ſe materiam proximam & οἰκεῖαν hominis non eſſe ſimplicem ait, Docilem, qua methodo vti velit ſignificando, nempe ea quæ medico magis eſt vſurpanda quàm Philoſopho, quæq; ex manifeſtis procedit & ſenſui magis innititur, Et attentum, rei pertractandæ difficultatem & amplitudinem ex diuerſitate & multitudine ſententiarum de ea colligendo, reddidit Magnus noſter Hyppocrates; accuratè docet ex quibus & quot

numero conſtituatur humana natura principijs, refutando nempe prius aliorum malè ſentientium de ijs, ſiue Philoſophi fuerint, ſiue Medici, opiniones, & tandem propriam exponendo, rationibusq; ab experientiâ & ratione deſumptis, ſeu vt ipſemet loquitur φύσει καὶ νόμῳ confirmando. Quapropter merito liber hic in exordium & Tractatum diuiditur. Tractatus verò in duas partes, in quarum prima inſtituitur refutatio falſarum de principijs humanæ naturæ opinionum; in poſtrema proponitur ſententia quæ vera eſt, ac re ipſa & opinione demonſtratur.

Προσωτέρω) Cum amplius vel altius diſſerere in ſcientia aut arte artifex poſſit, vel quando alterius ſcientiæ & artis aſſumit habitum, vnde Ariſt. 1. Phyſic. cap. 8. inquit: τὸ μὲν ἓν εἰ ἓν καὶ ἀκίνητον τὸ ὂν σκοπεῖν οὐ περὶ φύσεως. Et Auicenna fen. 1. Doct. 1. cap. 1. lib. 1. Litigium, ait, de triplici diſpoſitione humani corporis, vel medicis, vel illis, qui contra eos

ſunt

ſunt in medicina, non auxiliabitur; cum eius rei certitudo ad alterius doctrinæ principia pertineat; Quamobrem etiã tales medici ab Ariſtotele dicũtur φιλοσοφοτέρως τὴν τέχνην μετιέναι. Vel quando prorſus aliena ab ijs quæ in ſcientia declarantur proponit, ſiue ea ex eadem arte, ſiue ex alia ſcientia petat. Quæſtio hoc loco oritur, in qua nempe ſignificatione aſſumi debeant verba Hippocratis cum ait: Altius quoſdam de natura humana diſſerere quàm ad medicinam pertineat. Verum ex verbis ipſis manifeſtiſſimum eſt, poſteriorem interpretationem rectius adhiberi, quandoquidem nõ ſimpliciter reijciat diuinus noſter ſenex omnes qui altius de Humana natura loquuntur, ſed eos duntaxat, qui ea docent quæ ad ἰατρικὴν non pertinent, h.e, quibus non modo axiomata medica non confirmantur, verum etiam euertuntur. Falſa enim ſunt & veram medicinam auferunt, qualia ſunt quæ profe-
runtu

runtur ab ijs, qui hominem aërem duntaxat, aut qui aquam solam, aut qui ignem purum aut terram impermixtam, vel ex humoribus quatuor vnũ aliquem sincerum esse arbitrantur. Vnde Galenus. 1. de Elem. 5. Qui hominem dixerit esse vsquequaq; aerem id est penitus vnũ & solũ, is fertur vlterius, quàm ratio medicinæ exposcit, & artis principia subuertit. Ad hæc tam est necessaria cognitio Philosophiæ futuro medico, vt solus sit optimus medicus, qui optimus Philosophus. Qua de causa doctiss: Auicenna, non coniunctionẽ Philosophiæ naturalis & medicinæ damnat, sed cõfusionem, inquit enim; sunt harum rerũ (loquitur autẽ de ijs, quæ in Physiologia explicantur) quædam de quibus Medico nihil est agendum, nisi vt quid sint essentiali formatione informet, & vtrũ sint vel non sint doctori sapientiæ Physicalis credat, quasi dicat, recte vbi cognitione Philosophiæ prius quis auctus fuerit, tum

demum

demum in tempore ad medicinæ ſtu-
dium ſe confert, quippe quod hoc mo-
do certus ſit de ijs, quæ in medicina
ad inſtar principiorum certiſſimorum
ſupponere debet, quandoquidem in
medicina ea demonſtrare non conue-
niat, ſunt enim extra terminos artis
medicinalis poſita. Idem colligitur ex
textu 3. in quo altiorem ſermonem in-
terpretatur Hippoc. de opinionibus,
quæ ab autoribus non ſatis intelligun-
tur, quæ ex ſe abſurdæ ſunt & falſæ, ac
propterea non ſemper ſibi ſimiles &
eædem, quæq; ea, circa quæ & in qui-
bus plurimum verſatur medicina, au-
ferunt & tollunt. Conſequitur porrò
ex dictis non modo Hippocratem quid
in medicina tradi debeat, verum etiam
quibus auditorem ante inſtructum eſſe
oporteat, quàm ad medicinam ſe con-
fert, docere. Quapropter non video
quomodo proſcribere poſſit Elemen-
torum doctrinam & à medico vel me-
dicina diuellere & in totum remouere
verbis

verbis citatis autor, quod nonnullis visum est interpretibus. Sed neq; adhuc res est manifesta. Concesso enim eos, qui aerem, ignem, aquam, terram dicunt esse hominem, altius de humana natura disserere, nondum tamen satis liquet, omnes ne qui quocunq; modo hominem talia esse fatentur, ea quę ad artem Medicam non faciunt, dicant, an aliqui tantum. Vel enim hominem ea omnia inuicem commixta & per certam temperationem vnita esse affirmant, vel ex illis vnum aliquod duntaxat. Quod si iam ita legamus Hippocratis verba: ὅτι μη φανερὸν ὅ ἐνέον ἐν τῷ ἀνθρώπῳ Videbuntur sane omnes in eandem labi absurditatem; quandoquidem vtroq; modo possibile non sit, illa ex quibus hominem constare inquiunt siue vnum sit, siue multa, ad sensum sincera ostendere. Verum aliter esse legendum exactior verborum consideratio, & argumentorum, quibus diuinus noster senex ad

C refutan-

futandum vtitur, vis docet. Inquit autem, ὄυτε μὴν τὸ πάμπαν &c. quod ſanè idem non eſt, quemadmodum ſcitè diligentiſſimus Galenus in explicatione (inquiens; verbum τὸ πάμπαν quibus iungitur eorum ſignificationes aut prædicata non tollit prorſus ſed perfringit, quemadmodum ex Homeri Iliad. & Hipp. 19. Aphoriſ. 2. Secti. diſertè videre eſt) notauit, ac ſi dixiſſet: λέγω γὰρ ἐν ἀνθρώπῳ ἐκ εἶναι ὅλως, ἠέρα. Quo demum loquendi modo euertiſſet illorum opinionem, quibus homo ex omnibus quatuor Elementis commixtis conſtare videtur. Siquidem igitur concedit hominem ignem, aërem, aquam, terram eſſe, ſed nullum τὸ πάμπαν id eſt purum, ſincerum, impermixtum, meritò arbitramur illos ipſum impugnaſſe, qui hominem vnum aliquod ex Elementis quatuor purum, ſincerum, impermixtum exiſtere, dixerunt. Quamobrem poſtea ſic ait: λέγει δὲ αὐτέων ὁ μὲν τις φάσκων, ἠέρα τοῦτο εἶναι, τὸ ἕν τε, καὶ

τὸ

τὸ πᾶν, ὁ δὲ πῦρ, ὁ δὲ ὕδωρ, ὁ δὲ γῆν &c. Quibus verbis clariſſimè oſtendit autor, ſe eos taxare, qui vnum aliquod elementorum, citra aliorum commixtionem, hominem dicunt. Huc accedit quod ſubiungit, Ego autem dico, ſi vnum eſſet homo, nunquam ſane doleret, neq; enim eſſet, quod dolorem inferret. Et paulo poſt: Nunc vero plura ſunt in corpore, quæ inuicem agunt & patiuntur. Item, ex calido & frigido, humido & ſicco conſtat tum hominis, tum aliorum omnium natura, & in ea tandem diſſoluitur. Concedit igitur ex multorum diuerſorum inexiſtentium tamen omnium commixtione naturam humanã eſſe conflatam; & inſimul negat, vnum quid & ſimplex eſſe hominem, qualecunq; iam illud aſſumatur. Quibus ſic declaratis facile eſt verba, ὅτι μὴ φανερὸν &c. pro noſtra interpretari opinione, legendum enim ἕν ἐὸν non ἐνεόν: quaſi dicat Hippocrates ex vno ſimplici & ſincero Elemento ho-

mo non conſtat, quia eorum nullum citra alterius admixtionem vnum exiſtens, ſincerum in corpore humano; vllo tempore poteſt demonſtrari. Quid vero, inquies, obſtat, quo minus legamus ἐνεὸν quaſi inexiſtens; Etenim non modo manifeſtum non eſt, vnum, verum plane nullum apparet ineſſe in homine? reſpondet Galenus, quia non contradicit in ſequentibus Hippocrates ijs, qui cōſtare ex omnibus quatuor Elementis, per mixtionem coniunctis, corpus humanum arbitrantur, ſed ijs, qui ἓν μόνον ἐξ αὐτῶν τὴν φύσιν εἶναι τοῦ ἀνθρώπου νομίζουσι. Addimus nos, quia verum non eſt Elementa quatuor in homine non ineſſe, Manifeſtum quin potius eſt ex operationibus & facultatibus ἐνεόντα εἶναι ἐν τῷ ἀνθρώπῳ quamuis non ſincera ſed permixta (quâ enim inuicem commixta, hominem conſtituunt) non actu completo ſed propter mixtionem refracto, neq; etiam vt materia proxima, quando quidem vt poſt docebimus,

mus,& scriptum reliquit Gal.2.de Element.in principio, ἴδια τῶν ἐναίμων ζώων Elementa ἢ στοιχεῖα sint quatuor humores; quæ tamen interuentu alimentorum ex Elementis procreantur, referente eodem Galeno 8.de Decret.Hippoc.& Platonis. Hinc Gal. 1. de Element.5.Quotiescunq; videris particulam frigidam, siccam, densam,ea satis sit ad reuocandum tibi terram in memoriam, si humidam,raram, fluentem, aquam. Calor etiam qui plurimus in animantis corpore reperitur ignem repræsentat.

Quid vero dicendum si quæratur, an Hippocrates verbis præcitatis illorum etiam reijciat doctrinam,qui Elementa quidem inuicem commixta & contemperata,sed vt proximam materiam subiiciunt corpori humano. Ratio dubitandi est, quòd hæc doctrina euertat principia medica,& Hippocratis fundamenta & morborum curationem. Vnde Gal.8. de Decret.Hipp.&

 Plat.

Plat. inquit: Aberrat Plato dicens, ex loco proprio Elementa in alterum, vt dolor fiat, transferri. Quippe hæc non transferuntur locumue in animantium corporibus mutant, sed pituita, bilis vtraq; , ipseq; sanguis, Et rursus idem ait, Recte igitur Hippocrates in humoribus scripsit separatos humores ab alijs & in vnaquaq; particula subsistentes morborum fieri autores. Accedit quòd si Elementa per solam mixtionem subijcerentur vt proxima materia, non aliter ac argentum, aurum, ferrum, homines etiam & animalia, mixta essent corpora sine sensu & consequenter morborum & doloris expertia: Contra; Hippocrates horum ne verbo meminit, vt reliquorum perperam de principijs naturæ humanæ loquentium, imò concedit & probat eam sententiam, qua homo non aër prorsus, vel ignis duntaxat dicitur, sed plura, puta omnia Elementa inuicem commixta & contemperata. Respondendum

dendum quòd licet ex professo & apertè Hippocrates contradicat tantum eorum sententiæ, qui arbitrantur hominem vnum aliquod ex Elementis purum & sincerum esse: omninò tamen eundem obiter significasse, hanc etiam opinionem, qua Elementa inuicem commixta statuuntur esse proxima humanæ naturæ principia, ab arte medica esse alienam. Hinc subiungit; Constituitur natura corporis humani ex sanguine, pituita & bile duplici. Et iterum ait: Proinde dico, esse hominem sanguinem, pituitam, bilem flauam, & nigram. Rursus quia hæc sententia principia Medicinæ euertit, satis constat, eandem, Hippocratem, verbis in pröemio relatis, reijcere & improbare voluisse. Neq; porro hominem, omnia Elementa simpliciter & absolutè esse concedit diuinus noster senex, sed secundũ remotam materiã, materiã proximã eiusdẽ humores esse affirmans, ex quibus morborum etiam

 causas

causas & rationes colligit. Et hinc Gal.8.de Decret. Hipp.& Plat.inquit; Non secundum Elementa,quæ ab efficientibus qualitatibus, Calidum, humidum, frigidum & siccum vocat, de morbis sermonem habet Hippocrates. Virtute enim sunt in corporibus non actu,quemadmodum ab ipsis procreata alimentorum interuentu sanguis, pituita & vtraq; bilis.

ἤκουσεν,.Hac voce dissoluere videtur autor dubium, q occurrebat, An nēpe Medico nō sint audiendi Philosophi, siue benè, siue malè de principijs hominis loquantur. Etenim si benè loquantur tantum abest vt eorum doctri. non faciat ad Medicinam, vt vel solum optimus Philosophus optimus sit Medicus. Sin malè, duntaxat melius, vbi illos audiuerimus, verum cognoscere & dijudicare poterimus. Vnde Arist.2.Metaphys.tex.2.ait: Agēdas esse gratias tum illis in quorū opinionibus acquiescimus, tum illis, qui super-

ſuperficietenus dixerunt, quandoqui-dem & hi aliquid ad veritatem confe-rant, hanc quippe vt rectius cognoſca-mus in cauſa ſunt. Huic dubitationi ſatisfacere volens Hippocrates in-quit: ὅςις μὲν εἴωθεν ἀκούειν &c. quaſi dicat, non impedio quin auditores mei Phi-loſophiam cognoſcant, & altius etiam de humana natura diſſerentes, quàm ad Medicinam pertinet, audiant, ve-rum ſi ex meis lectionibus aliquid vti-litatis ſecum domum reportare volu-erint, oportet curent ne falſis opinio-nibus aſſueſcant. Animus enim falſis ſententijs præoccupatus, ſi ad verita-tem acceſſerit difficulter huic aſſenti-tur, & propterea ex lectionibus & ſer-monibus vera docentium commodi parum vel nihil haurire valet. Hanc expoſitionem confirmat ratio propoſi-tionis, quam ſubiungit autor inqui-ens:

TEXTVS II.

οὔτε γὰρ τὸ πάμπαν ἠέρα λέγω τὸν ἄνθρωπον εἶναι, οὔτε πῦρ, οὔτε ὕδωρ, οὔτε γῆν, οὔτ' ἄλλο οὐδὲν ὅτι μὴ φανερόν ἐστιν ἓν ἐὸν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. ἀλλὰ τοῖσι βουλομένοισι ταῦτα λέγειν παρίημι.

Vult enim dicere, quia, qui altius de natura humana differentes audire consueuerunt, nihil audient quod conueniat cum ijs, quas conceperunt firmiter, opinionibus falsis, imò contrariam ijs cognoscent, nempe hominem vnum aliquod elementorum purum & sincerum non esse, Igitur mox irruent in repræhensionem meæ doctrinæ, minimè vero illam expendent, & cum propria conferent; quamobrem quid verum, quid falsum neq; ex hoc meo sermone intelligere satis poterũt. Sed cum tam sit necessaria cognitio Philosophiæ naturalis præsertim ad Medicinam, vt solus is optimus sit Medicus, qui optimus Philosophus, iure hîc a nobis tractatur quæstio: An ne ars Medica scientiæ naturali subalternetur. Pro huius autem quæstionis resolutione notandum,

auod

quod ſubalternationis nomen bifariam vſurpetur; vel communiter de omni qꝫ quocunq; modo alteri ſubijcitur: Subijci autem poteſt aut ex toto, quomodo perſpectiúa Geometriæ, Muſica Arithmeticæ, ſubſtant, ſecundum totum nempe ὑποκείμενον, cui præter accidentalem differentiam, per quam materiale contrahitur, eſſentiale nihil addunt. Aut ex parte, & nunc ſecundum materiam conſideratam. (Sic Phyſica doctrina in Meteorologicis de Iride agens perſpectiuæ campum ingreditur.) Nunc ſecundum finem eumq; aut ſcientis aut ſcientiæ. Nunc ſecundum principia, quæ inferior ſcientia prout in ſuperiore cõfirmata ſunt aſſumit; Vel propriè & ſic tres habet proprietates quas videre eſt apud Ariſtotelẽ.1. poſter.tex.56. & 58. ſunt autem hæ: 1. Subalternans debet τὸ διότι, Subalternata autem τὸ ὅτι, docere. Sic Muſica concluſiones quidem ſuas proponit, ſed illarum princi-

pia,

pia, (qualia ſunt tum prima tum conclusiones in Arithmetica demonſtratæ.) & demonſtrationem ex Arithmetica petit. Quod ſi enim propriam vel peculiarem haberet, non ſubalternata ſed peculiaris eſſet ſcientia. Quamobrem omnes demonſtrationes Muſicæ in principia Arithmetica reſolui poſſunt & debent. Ex hac enim numerorum ſcientia, vt quæ ſola propter quid numeri tales talesue quales a Muſico aſſumuntur ſint demonſtrat, τὸ δι' ὅτι deſumunt Muſici & pro medio demonſtrationum vſurpant; qui vero medium ponit propter quid demonſtraſſe dicitur. 2. Quæ ita ſe habent ad inuicem ſcientiæ vt vna ſubalternetur alteri, earum idem eſſe quodammodo genus oportet, 1. poſter. text. 20. rationem exponit Ariſtoteles inquiens: ὧν γὰρ τὸ γένος οὐ ταυτὸν, ἀλλὰ ἕτερον ἐκ τούτων οὐκ ἐστὶ δεικνύναι· τὰ ἀκρὰ γὰρ ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους ἀνάγκη εἶναι. Nam demonſtrationis termini debent eſſe inter ſe eſſentialiter colli-

gati

gati & eiusdem naturæ, h, e. per se primò subiecto qua tale inhærere, ꝙ tum fit cum eidem non diuersis attribuuntur, hîc enim fit transitus de genere in genus. Ex quibus consequitur. 3. nempe vt subiecta scientiarum, quarum vna subalternans, altera subalternata, modo considerandi seu formali non differant, sed solum accidentalem differentiam res considerata eius, quæ subalternatur, recipiat. Subiectum verò subalternantis non sit genus subiecti scientiæ subalternatæ. Eædem enim debent esse scientiæ quæ subalternantur inuicem; atqui modus considerandi diuersus, diuersa quoq; scientiarum genera constituit, quemadmodum idem subiecti naturam eandem conseruat, efficitq; vt medium & extrema subiecto per se inhæreant, adeoq; demonstrationes ex subalternante, subiecto subalternatæ propriè veluti primo conueniant. His ita declaratis pono duas conclusiones. Prima est;

ma eſt, Medica ars ex parte, nempe ſecundum rem conſideratã & principia naturali Philoſophiæ ſubijcitur. Secunda. Eidem autem ſcientiæ non ſubalternatur verè, quia proprias habet demonſtrationes, & peculiarem conſiderandi modum, diſtinctum à formali Phyſiologias. Huius enim formale eſt in quantũ principiũ motus & quietis corpus naturale in ſe habet: Illius verò in quantũ corpus naturale humanum ſanum morbos recipere, aut morboſum denuo ſanitatis capax fieri poteſt. Quia igitur τὰ γένη ἕτερα & propterea numero plures ſunt ſcientiæ, Phyſica & Medicina, ſubalternæ propriè dici non poſſunt, quia vt ait Ariſtoteles. 1. poſter. text. 75. ſubalternantis nomen ſubalternatæ conuenit, & ex ſententia Zimmaræ in Theoremate 76. ſubalternæ ſcientiæ numerum non faciunt. Probatur eadem hæc concluſio ex eo, quòd Medicina ars ſit, Phyſica verò ſcientia. Quod nunc in contrarium
afferri

afferri ſolet, nempe Ariſtotelē ipſum, cap. I. lib. de ſenſu & ſenſili, aſſerere, Phyſici eſſe ἀρχὰς τὰς πρώτας περὶ ὑγιείας καὶ νόσου conſiderare, id facile diſſoluitur. Aliter enim Phyſicus, aliter medicus ſanitatis principia conſiderat. Phyſicus quidem quæ propria ſunt generis id eſt corporis naturalis viui in quantum naturale, h.e. vniuerſaliſſima. Medicus vero quæ proximæ ſunt affectionum corporis humani cauſæ, ſecundum quod ſanum morbos recipere, vel morboſum ſanitatis denuo capax fieri poteſt. Principia igitur ſanitatis & morbi quæ Phyſicus conſiderat remotæ ſunt cauſæ affectionum corporis humani ſanabilis, quarum proxima principia inquirit Medicus. Si dixeris eæ ſcientiæ dicuntur ſubalternari, quæ ſubiectum habent tale, vt ſubiectum ſcientiæ ſuperioris in ſe includat inferioris, nec diſtinguuntur niſi per aliquod accidēs. Imo in quib^9 contingit vt inferior principia ex ſuperiori

periori desumat & tanquam certa pręsupponat. Atqui Medicinæ subiectum continetur sub subiecto Physicæ, corpus humanum sub corpore naturali, & solo accidente nempe sanitate distinguitur ab hoc; Adhæc principia multa medica in Physica demõstrantur, Ergo Medicina Philosophiæ naturali propriè subalternari dicetur. Responsio in promptu est, contineri nempe subiectum Medicinæ sub corpore naturali quo ad materiale, obtinere autem modum cõsiderandi proprium per quem tanquam per formam à subiecto Physicæ distinguitur. Demonstrari præterea principia sanitatis in Physica nempe remota, non autem proxima. Et licet sanitas accidentis naturam incurrat, tamen addita corpori humano non se habet vt pars materialis, sed vt formale subiecti in arte Medica, nouumq; dicit considerandi modum, & fit differentia essentialis, quę ad nouam speciem ducit rem

cit rem conſideratam corpus nempè humanũ. Quamobrem Medicã etiam artem, ſub alio ſcientiarũ & diſcipli-narum genere ponit, nec in eodem cum Phyſica collocat, cum tamen ſub-alternæ ſcientiæ ita ſe habeant, vt ſu-perioris formale ſit forma communis ad inferioris & proprium ſuum ſubie-ctum. Quemadmodum linea, ſub rati-one quanti ſubijcitur tùm Geometriæ tùm perſpectiuæ; Huic tamen vt vi-ſualis & quanta, illi ſimpliciter vt quanta, ſemper igitur vt quanta: id quod niſi contingeret, perſpectiua in latitudinem Philoſophiæ naturalis incurreret.

οὔτε ἄλλο οὐδέν) Hæc verba includunt opiniones, omnium aliorum Philoſo-phorum qui vnum Ens & vnum prin-cipium duntaxat, totius & partium v-niuerſi poſuerunt, de quibus. 1. Phyſ. Ariſtoteles.

ὅτι μὴ φανερὸν) Sat habet diuinus no-ſter ſenex hac ratione infregiſſe & re-

futasse eorum, qui vnum aliquod sincerum elementum dicunt esse hominem, sententiam, nec affert alias, quas facilè potuisset, instantias, vt doceret, quænam obseruanda sit, in tradenda Medicina, Methodus. Philosophica namq; ἀκρίβεια adhiberi non potest, sufficit autem ostendisse sensui repugnare ea, quæ a Medica arte reijciuntur. Vnde Gal. tex. 8, lib. 2. artis medic. sensum vult esse iudicem omnium constitutionum corporis, ὅτι αὐτὴν τῶν πραγμάτων τὴν φύσιν. Et communiter dici solet; Medicus opifex & artifex est sensatus, solum enim sensum penè iudicem admittit, & experientiæ plurimum innititur. Rectissimè vero infert Hippocrates, hominem non esse aut aërem prorsus, aut ignem prorsus, &c. quia non manifestum est tale elementum vllo tempore in homine sincerum esse. Ratio consequentiæ est, quia cum sit cotidiana ἀπόῤῥοη restitutioq; in corpore humano, iure adesse conti-

nuo oportet id, ex quo absumptæ partes restituuntur; atqui id simile est ei, ex quo compositæ sunt in principio, vnde enim constamus ex eodem nutrimur. Ergo si ex vno sincero & puro Elemento constaret homo, aliquo tempore purum illud & vnum in corpore conspiceretur, quod tamen est falsissimum.

ἀλλὰ τοῖσι) Præceptum est significans non modo stultè agere eum, qui falsa pro veris contumaciter defendit, sed et eum, qui talem, cum nolit, in viam reducere conatur. Oleum enim perdit & operam. Quapropter rectius desistit ab incepto & permittit alterum suo abundare sensu; neq; tamen interim cessare debet veritatis partes per se tueri.

TEXTVS III.

Δοκέουσι δὲ μοι οὐκ ὀρθῶς γινώσκειν οἱ τα τοιαῦτα λέγοντες γνώμῃ μὲν γὰρ τῇ αὐτέῃ πάντες χρέονται. λέγουσι δὲ οὐ ταυτά. ἀλλὰ τῆς μὲν γνώμης τὸν ἐπίλογον τὸν αὐτὸν ποιέονται, φασι γαρ ἕν τι εἶναι,

 ὅ,τι

ὅ, τί ἐστι. καὶ τοῦτ' εἶναι τὸ ἕν τε καὶ τὸ πᾶν. κατὰ δὲ τὰ οὐνόματα, οὐχ ὁμολογέουσι. λέγει δ' αὐτέων ὁ μὲν τις φάσκων, ἠέρα τοῦτο εἶναι, τὸ ἕν τε καὶ τὸ πᾶν. ὁ δὲ πῦρ, ὁ δὲ ὕδωρ, ὁ δὲ γῆν. καὶ ἐπιλέγει ἕκαστος τῷ ἑωυτοῦ λόγῳ μαρτύριά τε καὶ τεκμήρια, ἅγε ἐστὶν οὐδέν. ὅτι μὲν γὰρ τῇ αὐτέῃ γνώμῃ πάντες προσχρέονται, λέγουσι δ' οὐ τὰ αὐτά. δῆλον ὅτι οὐδὲ γινώσκουσιν αὐτά. γνοίη δ' ἄν τῷ δέ τις μάλιστα, παραγενόμενος ἀντέοισιν ἀντιλέγουσι. πρὸς γὰρ ἀλλήλους ἀντιλέγοντες οἱ αὐτοὶ ἄνδρες, τῶν αὐτέων ἐναντίον ἀκροατέων, οὐδέποτε τρὶς ἐφεξῆς ὁ αὐτὸς ἄνθρωπος περιγίνεται ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ. ἀλλὰ ποτὲ μὲν οὗτος ἐπικρατέει, ποτὲ δὲ οὗτος, ποτὲ δὲ, ᾧ ἂν τύχῃ μάλιστα ἡ γλῶσσα ῥυεῖσα πρὸς τὸν ὄχλον, καίτοι δίκαιόν ἐστι τὸν φάντα ὀρθῶς γινώσκειν ἀμφὶ τῶν πραγμάτων, παρέχειν αἰεὶ ἐπικρατοῦντα τὸν λόγον τὸν ἑωυτοῦ, εἴπερ ἐόντα γινώσκει, καὶ ὀρθῶς ἀποφαίνεται. ἀλλὰ ἐμοίγε δοκέουσιν οἱ τοιοῦτοι ἄνθρωποι σφᾶς αὐτοὺς καταβάλλειν ἐν τοῖσιν ὀνόμασι τῶν λόγων αὐτέων, ὑπὸ ἀσυνεσίης, τὸν δὲ Μελίσσου λόγον ὀρθοῦν. περὶ μὲν οὖν τουτέων, ἀρκεῖ μοι τὰ εἰρημένα.

Γνώμη μὲν) Hæc prima eſt tractatus huius operis pars, in qua autor falſas de natura humana opiniones refutare, ea tamen quæ decet Medicum modeſtia & ratione, incipit. Quia porrò illarum opinionum admiratores cùm Philo-

Philoſophi, tùm Medici erant, de illis primò & breuiter, acutè tamen diſſerit, poſt prolixiorem ſermonem de his inſtituit, propterea quòd hi terminos ſuos ex Medicina, & quodammodo principia deſumant. Philoſophorum porrò errorem, & ſententiæ ipſorum abſurditatem oſtendit triplici ſigno, quorum primum deſumitur a diuerſitate ſubiectorum, quibus in eandem ſententiam omnes attribuunt principij, ex quo cum vniuerſo homo conſtat, rationem, cum tamen, ſi vnum, plura principia ſtatui nequeant. Alterum à medio, quod idem in concluſionibus oppoſitis demonſtrandis vſurpant, contra leges logicas, quæ poſtulant medium, quod per ſe ſubiecto competit. Tertium ab inconſtantia in diſputando. Vt enim qui verum ſcienter dicit, conſtanter idem tueri poteſt; Ita qui dubiam & falſam opinionem defendit, nunc huc, nunc illuc impellitur, nec reſiſtere conſtanter ad-

uerſarijs valet; quemadmodum id ipſum contingit ijs, qui hominem vnum aliquod Elementorum dicunt; Et proinde res hæc multum ipſos falſitatis erroriſq; conuincit.

Λέγουσι δὲ οὐ ταῦτα) Id eſt, ſententiam illam quam eandem habent omnes, nempe vnum eſſe vniuerſum, de eodem ſubiecto non pronunciant, ſed de oppoſitis declarant, hic de igne, vt Heraclitus, alius de aëre vt Anaximenes, alius de aqua vt Thales Mileſius, alius de terra, vt Phærecides. Hinc Galenus 4. cap. 1. de Element. Deinde nec id aduertunt, quod omnes vnam eandemq; demonſtrationem ad quatuor materias accommodare volunt.

Τὸν ἐπίλογον τὸν αὐτὸν) Ex eadem interim ſententia, ſecundum diuerſa tamen ſubiecta prolata, eandem concluſionem per ratiocinationis modum eundem extruunt. Omnes enim hominem vnum eſſe, quia vniuerſum cuius homo pars eſt & potiſſima, ἕν τι exiſtit, colligunt.

colligunt. Præterea addit Hippocrates, καὶ ἐπιλέγει ἕκαστος τῷ ἑωυτοῦ λόγῳ μαρτύριά τε καὶ τεκμήρια, ἅ γε ἐστιν οὐδὲν h. e. aſſertionem ſuam quilibet Philoſophorum teſtimonijs ac ſignis confirmauit, ſed communibus & nullius momenti. Sumebantur enim teſtimonia illa in vniuerſum omnia à transmutatione Elementorum per rarefactionem condenſationemue in inuicem; ideoq; non poterant docere vnum eſſe Elementum & principium, propterea quod (vt docet Gal.1. de Elem.4.) transmutatio probet, id quod transmutatur, non eſſe vnum ſed multa; neq; rurſus transmutatio docet vnum ex Elementis, quod nempe transmutationem ſuſtinere debet, eſſe primum & aliorum omnium principium, ſed indicium eſt communis materiæ, eius, vel eorum quæ inuicem transmutantur, imò & prioris. Si enim ex igne fit aër, in quo vna qualitas calor nempe remanet, quæro in qua nam materia reſerua-

tur caliditas? non in igne, quia ſiccitate dempta non amplius eſt ignis; Non in aëre, quia nondum factus perfectusq; eſt. Ergo in aliqua re diuerſa & ab igne & ab aëre, nempe Materia prima, communi tamen igni & aëri.

Καὶ τοῦτο εἶναι τὸ ἓν καὶ τὸ πᾶν) Id ipſum quod dicebant vniuerſum eſſe, hominis quoq; principium exiſtere affirmabant, & vt diuerſum ponebant illud vnum quod vniuerſum exiſtit, ita diuerſa quoq; pro principio naturæ humanæ ſubijciebant, nonnulli aërem, quidam ignem, alij aquam. Hinc Hippocrates κατὰ γὰρ τὰ ὀνόματα οὐχ ὁμολογέουσι.

Δῆλον ὅτι οὐδέ) Si enim cognouiſſent ignem aquæ, terram aëri contrariam eſſe, comperiſſent quoq;, ſi per transmutationem ſatis demonſtratum fuiſſet, vniuerſum & conſequenter etiam hominem ignem eſſe, per idem medium oſtendi non potuiſſe hominem ignem non eſſe ſed eius contrarium, puta aquam; adeoq; medium id ad demon-

demonſtrandum non valere: ſed quia neq; medij vim,neq; conditiones Elementorum ſatis intellexerunt,in eandem ſententiam pro diuerſis atq; oppoſitis concluſionibus ex vno principio diſſeruerunt. Vnde poſtmodum factum eſt, quòd in eodem ſermone contraria & diuerſa,in diſceptationibus protulerint, & nunc hanc, nunc illam ſtabilierint ſententiam , pro vt modo hic, modo alius, cui nempe lingua volubilior, & ſermo populo gratior contigerat, ſuperior in diſputando & vrgẽdo extitit.Sed inquies, Cur Hippocrates argumenta medium & rationes ipſorum non proponit ? An aliquam ſupra in verbis καὶ τοῦτο εἶναι τὸ ἕν καὶ τὸ πᾶν propoſuit, aliã ſignificauit implicitè dum Meliſſi opinionem eos confirmare inquit ? Sed clarius poſt vbi de Medicis loquitur;transmutationis enim meminit expreſsè. Neq; tamen rationes omnes expreſſit explicitè, quia notiſſimas eſſe omnibus ſciebat,

bat,& præterea tales,quæ nullius momenti, quasq; ipſimet inter ſe conferendo euertebant.

ὑπὸ ἀσυνεσίης). Prudentis enim eſt tum demum de re quadam certò pronunciare cum eam integrè & accuratè cognorit, Ignorantiam autem intelligit tùm logicæ tùm Phyſicæ.

Πρὸς γαρ ἀλλήλους) Videtur Hippocrates hoc loco Philoſophandi genus tertiũ, à quo ex libris Ariſtotelis Philoſophiam exponentibus nonnulli ἐγκύκλια βίβλια appellantur, deſcribere. Fuit autem illud eiuſmodi: Certis & conſtitutis diebus conueniebant ſapientes & in corona multorum agitabant quæſtiones varias, de quibus tamen in vtramque partem diſſerebant. Hinc poſtea libri, qui hæc continebant, circulares vocati ſunt. In huiuſmodi congreſſibus dicit Hippocrates repertos nonnullos ex ſapientibus, qui certò ſibi perſuaſum habebant, vt vniuerſum,ita & hominem

minem ex vno & ſincero Elemento conſtare, eſſeq; vel ignem, vel aërem, vel aquam, vel terram. Quæ cum ita ſint, minus recte Arthemidorus Capito inquirit ex libris editis autoré, qui terrã ſolam (quemadmodũ alij aliud ſincerum Elementum & ſolum,) hominem eſſe dixiſſet; neq; .n. forte literis hæ opiniones fuerunt omnes mandatæ, quemadmodum, referente Galeno, neq; ſcriptæ reperiuntur eorum ſententiæ, qui hominem pituitam ſolam, aut bilem ſolam eſſe affirmarunt: Sic Platonem etiam multa decreta literis non obſignata tradidiſſe ex diſcipulorum eius ſententia Galenus memorat commento huius 34. Nullos edidiſſe commentarios Pythagoram, nullos Quintum, Medicum celebrem, idem loco citato teſtatur. Aut ſi vel maximè fuiſſent editę & impreſſæ, cur non potuiſſent libri, in quibus continebantur, perire bello, incendijs &c. adeoq; autorum, quantumuis aliàs cla-

às clarorũ, nomina obſcura fieri, cum præſertim talia protulerint, quæ annotatione & cultura digna poſteritati non videbantur. Quòd ſi demum abſurdior videatur hæc opinio quàm vt à probato viro defendatur, conſideremus iſtum ex Archigenis ſectatoribus, qui, vt Galenus loco prius citato memorat, ſibi perſuaſum habuit, neq; in inſpirando ſpiritum introduci, neq; in expirando egredi. Neq; præterea autoritas & grauitas Diuini noſtri ſenis permittunt vt dubitemus quin fuerint qui vt aërem ſolum, ita & terram ſolam hominem eſſe contenderint. Si enim non habuiſſent hæ ſententiæ ſuos cultores, ab Hippocrate allatæ non fuiſſent & refutatæ. Quid vero? Num qui vnum aliquod ex Elementis quatuor naturam rerum ſtatuunt, & proinde etiam hominem vnum eſſe dicunt, cætera ad generationem concurrere negant? Opinio multorum non fert. Dicunt enim ſolum illos docere voluiſſe;

voluisse, reliqua, licet constituant, E-
lementa tamen non esse prima, vel
simplicissima corpora, sed illud tan-
tum, quod omnia esse asserunt, quodq;
ex alio non fit, alia autem ex ipso, dum
à calore & frigore coactum & per rari-
tatem ac densitatem mutatur. Atqui
Galenus commento 3. simpliciter in-
quit, Hippocratem contradicere non
is, qui quatuor Elementa (minime ad-
dens tanquam prima principia vel
simplicissima corpora) Sed qui vnum
aliquod ex ipsis, idq; tantum, hominis
principium dicunt. Deinde si per illos
ex pluribus composita conflantur,
quomodo hominem Elementorum v-
num, quodcunq; illud fuerit τὸ πάμπαν
ἓν μοῦνον (vt habetur text. 3. in codice
græco Aldino & editione Theodori
Zuingeri, quam etiam lectionem Ga-
lenus sua hoc loco expositione, & Hip-
poc. ipse text. 7. cõfirmãt) esse affirma-
bunt? quã tamen illorũ duntaxat sen-
tentiam Hippocrates hoc in libro te-
ste Ga-

ſte Galeno Comm. 2. & 3. refutare ni-
titur: Si ex multis homo generaretur,
quî vnicum ſaltem in ſui productione
obtineret principiũ, à quo pendet? quo
modo non poſſet fieri mixtio ac gene-
ratio, vt poſt infert Hippocrates? Am
principium eſſentiale ſpecieq;, vt ait
Galenus commento huius 5. & actu
(Si enim vnum principium id potem
tia eſſet, requireret aliud, à quo actum
haberet, & ſic plura principia conce-
derentur) vnum duntaxat obtinet ho-
mo, quod tamen accidentibus varijs
(quicquid enim Enti in actu aduenit
accidens eſt) ornatum ad ſenſum plura
apparet? Reuera tamen vnum ſunt o-
mnia κατὰ τὴν ἀυτὴν ἐσίαν: Sane voluiſſe
hoc ipſos veriſimile eſt, cum etiam A-
riſtoteles 1. Phyſ. contra Meliſſum &
Parmenidem diſputans dicat, hos co-
actos vel ſenſuum certitudine, licet
vnum ante in rebus naturalibus prin-
cipium poſuerant, duo tamen poſt
conceſſiſſe & quidem contraria, id

quod

quod tamen aliter fieri non potuit quàm secundũ rationem prædictam. Et quod Galenus 2.cap.1. de Element. dicit sub nomine Epicuri, de alijs etiam videtur affirmari posse, quòd ἐτεῆς verè & natura omnia vnum sint, νόμῳ autem id est per existimationem hominum multa. Quod si nunc per sola accidentia, quæ ad generationem concurrunt principia, differunt, vt quid per transmutationem generantur? Hæc quippe est generatio quæ aliud non alterum modo, quemadmodum alteratio, quæ fit per accidentia, efficit. Rursus, quia idem sunt, nõ alia, Elementa quatuor, vnius enim istius principij, quod primum & simplicissimum, naturam & esse idem omnia habent, quomodo ex pluribus fit generatio? quomodo si vnum simplicissimum est corpus, non etiam alia quæ cum illo vnum sunt & idem? Ceræ variæ, pura rotunda, angularis, viridis, rubra, si iungantur, cæreum corpus ex v-

no dun-

no duntaxat cæra; ſcilicet non pluribus conſtans Elementis, producunt.

Τὸν δὲ Μελίσσου λόγον) Nam Meliſſi opinio ea eſt in quam illorum rationes incurrunt. Probant enim dari aliquod principiū vnum & immobile, ex quo omnia, etiam ipſa Elementa fiunt, diuerſum ab Elementis; imo propter quod Elementa in inuicem transmutantur. Tale autem principium intellexiſſe videtur Meliſſus, idcirco ex eius opinione occaſionem ſumpsêre poſteri inquirēdi de materia prima. Porrò his ijsdem verbis Hippocrates oſtendit, argumenta & ſigna, quibus vtebantur Philoſophi prædicti, nullius eſſe momenti, quemadmodum ſuperius dixerat. Non enim id, ꝙ ab ipſis in concluſione aſſumebatur, nempe ex Elementis quatuor vnum aliquod, primum omnium principium eſſe atque hominem, oſtendunt; ſed potius contrarium, non Elementa, ſed ſubſtantiam quandam Elementis antiqui-

quiorem primum esse & omnium rerum principium. Quapropter Galenus.1.de Elem. cap. 4. Omnes mihi videntur communem illam somniasse materiam omnibus Elementis subiectam quam vt vnicam vidêre, ita etiam vnum esse Elementum arbitrati sunt. Sed debuissent deinde dicere, an commune istud subiectum, esset id Elementum. Verum illi hoc prætergressi vnum quodpiam ex his quatuor id Elementum esse promulgarunt.

TEXTVS IV. & V.

Τῶν δὲ ἰητρῶν οἱ μὲν τινες λέγουσιν, ὡς ὁ ἄνθρωπος αἷμα μοῦνον ἐστὶν, οἱ δ᾽ αὐτέων χολήν φασιν εἶναι τὸν ἄνθρωπον, ἔνιοι δὲ τινες φλέγμα; Επίλογον δὲ ποιοῦνται καὶ αὐτοὶ πάντες τὸν αὐτὸν, ἓν γάρ τι εἶναι φασιν, ὅ, τι ἕκαστος ἠθέλησεν ὀνομάσαι αὐτέων, καὶ τοῦτο ἓν ἐὸν, μεταλλάσσειν τὴν ἰδέην καὶ τὴν δύναμιν, ἀναγκαζόμενον ὑπό τε τοῦ θερμοῦ καὶ τοῦ ψυχροῦ, καὶ γίνεσθαι καὶ γλυκὺ, καὶ πικρὸν, καὶ λευκὸν, καὶ μέλαν καὶ παντοῖόν τι ἄλλο. Εμοὶ δὲ οὐδὲ ταῦτα δοκέει ὧδε ἔχειν. οἱ μὲν οὖν πλεῖστοι τοιαῦτά τινα, καὶ ἔτι ἐγγύτατα τουτέων, ἀποφαίνονται.

Τῶν δὲ ἰητρῶν) Pergit Hippocrates commemorare opiniones eorum, qui

de natura humana altius quàm ad Medicinam pertinet loquuntur. Quia vero Philoſophorum iam retulerat ſententias, Medicis quid viſum fuerit hominem eſſe, nunc docet. Inquit autem quòd in eodem cum Philoſophis hæreant luto, eandemq; pariter ſententiam de oppoſitis & diuerſis concluſionibus ex vno eodemq; principio colligant. Erat porrò antiquorum Medicorum eadem communis opinio, hominem eſſe vnum, quia vniuerſum, cuius pars potiſſima homo exiſtit vnum. In declaratione vero huius opinionis diſcordes erant. Alius enim vnum id ſanguinem tantum, alius pituitam duntaxat eſſe contendebat, alius bilem tantum, intellige aut flauam aut nigram. Abſolutè enim prolata vox bilis aliquando, vt etiam Ioannes Gorræus ſuper lib. de Genitura Hipp. notat, vtramq; denotare poteſt, quamuis referente 27. commento huius Galeno nonnunquam ſolùm de flaua expona-

ponatur. Nam in libro de Theriaca ad Pisonem cap. 15. sine additione atram significat vocabulum bilis. Et Hippocrates tex. 25. & 39. huius libri bilis nomen simpliciter ponit, deinde in nigram & flauam bilem distinguit. Et paulo post, solo bilis nomine, citra additionem, ambas species significat inquiens: Neq; sanguis bili neq; bilis pituitæ. Male quippe dicunt nonnulli, antiquos Melancholiæ naturam tanti nunquam fecisse, vt eam principium hominis posuissent, quòd pauca esset. Nam Diuinus noster senex, teste ipsomet Galeno & interpretibus penè omnibus, post per vocem μέλαινα denotat Melancholicum succum, ipsumq; pro principio hominis ab antiquis assumptum esse docet. Cæterum hanc suam conclusionem quilibet confirmabat ex fundamento, quod omnibus commune erat tali, Nempe; illud quod per transmutationem fit reliqua, primum est & reliquorum omnium prin-
 cipium,

cipium. Quia igitur hoc contingere in sanguine docebat is, cui homo sanguis tantũ esse videbatur, arbitrabatur, se demonstrasse sanguinem esse vnum & primum principium ex quo humores reliqui ipse quin etiam homo componeretur. Docebat autem, ostendendo quod ex calore vehementiori sanguis in bilem conuertatur, amaroremq; contrahat, ex remissiore vero & frigore albescat pituitaq; fiat, quemadmodum ex frigore quoq; niger euadit, melancholicusq; succus fit, imo ater, & atra plane bilis si amplius à calore intenso exuratur. Per se igitur vnum est principium totius & hominis quoq;, nempe sanguis, quod tamen per accidens ob actionem diuersam caloris & frigoris, speciem (puta accidentariam. Forma enim substantialis immutata naturam totam euertit & mutat) atq; vim acquirit diuersam, fitq; iam dulce, qualis est sanguis, iàm amarum ceu bilis, nunc album vt pituita;

tuita, modo nigrum ad instar Melancholiæ, & in summa aliud quiduis; id quod intelligendum de qualitatibus reliquis siue primis, siue secundis. Simili modo qui pituitam, aut bilem alterutram animal esse statuunt, eam in alios humores, si calidiores calore, si frigidiores frigore transmutari contenderunt. Verum vti eundem cum Philosophis prædictis Epilogum faciunt, ita ex ijsdem quoq; fundamentis, è quibus illi, refutantur, nempe ex eo, quod ratio, qua vtuntur communiter omnes, non probet ex quatuor enumeratis humoribus vnum aliquem reliquorum esse principium, sed aliam potius substantiam ipsis humoribus antiquiorem, è cuius mutatione ipsi quoq; humores gignuntur. Quod tamen fundamentum ab Hippocrate hic non allegatur, propterea quod ex præcedentibus esset manifestissimum, propter quam etiam causam contra hos seorsim plura non mouet, solum
 hoc

hoc adiungens, sibi videri rem aliter se habere. Quia vero sufficienter aliorũ opiniones se allegasse arbitrabatur & festinabat se ipsis in vniuersum opponere, ad instar Epilogi, quòd breuitas esset sibi gratissima, subiungit: Itaq; plurimi talia atq; etiam alia his proxima (addamus nos examine proinde & responsione simili cum prioribus digna) pronunciant. Quæ tamen verba in recentioribus exemplaribus non reperiuntur. Quamuis vero omissa non interrumpant orationis filum, tamen omittenda non sunt, propter id quod a Galeno in comm. super hunc textum dicitur, Hippocratem prætermisisse quandam Medicorum opinionem Melissi sententiæ respondentem, voluit quippe his verbis forte eam significare. Aluerunt enim aliqui alias etiam hac ipsa absurdiores opiniones.

καὶ γίνεσθαι καὶ γλυκὺ) Sic loquitur Hipp. vt quod superius à nobis dictum doctumq; est confirmaret, nempe sententiam

tiam Medicorum, de quibus loquitur fuiſſe, omnia, & hominem quoq; ſecundum ſubſtantiam vnum quiddam eſſe, differre vero ſolis accidentibus cuiusmodi ſunt qualitates. Quia porro qualitatũ harum non vna ſed varię conſpiciuntur in hominibus, vt generalior eſſet ſermo, non vnam ſed plures enumerauit qualitatum ſpecies, viſibiles nempe qualitates, & guſtabiles explicitè, reliquas implicitè breuitatis gratia & quidem ſub verbis παντοῖον, τι ἄλλο &c. Quapropter diligentiſſimus quoq; Gal. per hęc verba intelligit varias bilis ſpecies, quæ in morbis grauioribꝰ & maximè putridis ſuboriũtur.

TEXTVS. VI.

Ἐγὼ δὲ φημὶ, εἰ ἓν ἦν ὁ ἄνθρωπος, οὐδέποτε, ἂν ἤλγεεν οὐδὲ γὰρ ἂν ἦν ὑπὸ τοῦ ἀλγήσειεν ἓν ἐόν. εἰ ἓν καὶ ἀλγήσει, ἀνάγκη καὶ τὸ ἰώμενον ἓν εἶναι.

Ἐγὼ δὲ φημὶ) Quia fieri poteſt vt ſententia, quæ ab autoribus profertur, minus tamen conuenienter ab iiſdem probatur, vera ſit; rectè, ſi de re aliqua

controuersia est non rationes modo quibus opiniones confirmantur, verum etiam opiniones ipsas in se consideramus, & examinamus, atq; tum demum, quando a veritate eas abesse cognoscimus, reijcimus & damnamus. Quapropter Diuinus noster senex hanc eandem quoq; veritatis inquirendæ rationem comprobans, quod in præcedentibus rationes Philosophorum ac Medicorum, altius de natura humana, quàm ad Medicinam pertinet, differentium, quibus pro defendendis suis conclusionibus vtebantur, ostendisset & refutasset, nunc decretum eorum & sententiam ipsam, siue de Elementorum vno solo, siue de humorum aliquo sincero, siue alia simplici substantia diuersa etiam ab istis, vt ex tex. 9. & 10. colligitur, proferatur, in se perpendit. Et quia absurdam comperit, refutare conatur & funditus euertere. Tribus autem potissimum rationibus euertit autor de-

cretum

cretum prædictorum Philoſophorum & Medicorum, ac ſummatim omnium, qui vnum dicunt eſſe hominem. Quamuis enim Medicos expreſsè duntaxat refutet, ſubintelligit tamen etiam Philoſophos. Id quod potuit quam optimè, quemadmodum. 1. de Elemen. præclarè docet Galenus. Nec obſtat quod in contrarium adducitur argumentum; Philoſophos nempe nec conceſſiſſe alterationem à cauſis externis calore nempe & frigore; (quamobrem quoq; autoris verba ſupra tex. 4. de ſolis medicis intelligi debere) ſed ex vno quod poſuerunt per ſolam congregationẽ & ſegregationem produci Entia multa aſſeruiſſe. Nec potuiſſe concedere, Ens vnum, propter calorem & frigus mutare ſpeciem ac vim, quandoquidem ſic cognouiſſent veram generationem, quod tamen de ipſis negat multis in locis Ariſtoteles; qua de cauſa quoq; factum eſſe inquiunt illi, quod Galenus in 1. de Element.

ment. hanc rationem primam Hippocratis Democrito & Empedocli obiecerit. Negabant enim hi alterari posse: transmutariue principia rerum; Hæc: omnia inquam non obstant. Multi enim ex Philosophis vnum Ens ponentibus, calorem & frigus præter illud vnum assumpserunt, quemadmodum de Parmenide testatur Aristoteles.1.Metaphys.4.&.1.Phys.41.vbi etiam transmutationem quosdam fieri dixisse per condensationem & rarefactionem effectus & opera caloris ac frigoris notat. Quòd verò illi Philosophi qui ex vno omnia producunt & vnum dicunt esse vniuersum specie & mobile, alterationem quandam sponte sua concesserint, imò pro simplici generatione eam habuerint dicit Aristoteles. 1. de Ortu & interitu tex. 1. vbi amplius notat, ijs qui principia multa faciunt, differre a generatione alterationem necesse esse dicere Coëuntibus nempe & dissolutis generatio-

tioné contingere & corruptioné. Nec sequitur propterea quia alterationem cōcesserunt cognouisse eos etiā veram generationem, cum naturam in alteratione subsistere in operando, solaq; accidentia in subiecto semper manente vno variare, non esse substantiale Entium, censuerint.

Cæterum prima ratio desumitur ex natura & proprietate vnius speciei; hanc enim intelligebant illi quos enumerat autor, quiq; vniuersum vnum, scilicet mobile non immobile, ponebant esse, vnitatem specificam, quippe quòd vnitas generica ex se inferret pluralitatem rerum, extremæ vero esset absurditatis & hominis, qui nullam rerum euidentiam haberet, Ens mobile numero vnum statuere, habetq; in hunc modum; Vnum specie Ens idq; solum, sibi non est contrarium, nec in se agit, Ergo nec à se patitur, minus vero dolet. Homo dolet, Ergo vnum specie Ens duntaxat esse

non

non poteſt. Valet conſequentia a deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis in connexis. Notari tamen hic oportet, quod vnum ſpecie vel ſumatur pro eo,quod per commixtionem ex pluribus ſpecie diſtinctis rebus ad vnam aliquam ordinatur formam,per quam & exiſtit & ab alijs diſtinguitur, quemadmodum hoc loco non capitur: hominem enim, qui vnus ſpecie hoc modo rectè dicitur, affectionibus paſſionibus & doloribus varijs eſſe obnoxium certiſſimum eſt. Vel pro eo, quod ex vno duntaxat & ſimplici corpore conſtat, & ab eo totam ſuam habet eſſentiam, quale hoc loco intelligitur, dum vnū̄ ſpecie,ſibi ſimile & plane idem eſſe dicitur. Inſtabis,hominem ex ſe quidem non pati, quia vnum, verum ab alio transmutari externo poſſe, ſic enim ſupra dixerat Hippocrates, conceſſiſſe Medicos, vnum exiſtens Ens,ſpeciem ac vim ſuam mutare, coactum à calido & frigido.

do. Pro resolutione duo sunt notanda. 1. Vnum id quod homo existit aut ἀπαθὲς est, quo modo intransmutabilia ponebat rerum tamen omnium principia Empedocles quatuor Elementa; vel passionibus obnoxium est; priore modo pati, alterariue nullo modo potest, id quod ex se est manifestum. Quod si verò passionibus obnoxium est, vel illas passiones suscipiet duntaxat; vel susceptas sentiet dijudicabitq; an iucundæ an iniucundæ. Illo modo alterabitur quidem non tamen dolebit. Quamobrem Galenus. 1. de Elem. cap. 2. inquit: Transmutantur à calore & frigore etiam lapides & ligna, neq; vero dolent, quia vi sentiendi carent. Posteriori vero modo dolebit vtiq; : Sentire porrò conueniet illi per naturam propriam. Hæc vero alia est ab ea per quam patibile duntaxat est, aliter omne quod patitur sentiret. Ergo non ex vno sed pluribus principijs constituentibus, in vnam tamen

for-

formam ordinatis, constabit homo, quandoquidem doleat. Hanc argumentationem, tanquã Philosopicam magis hoc loco Hippocrates non expressit, attigit tamen eam Galenus loco paulò ante citato, vbi ad dolorem duo requiri, subiectum nempè tum alterationis, tum sensus capax, ait: Item, vbi Empedocli, Democrito & alijs rationem Hippocratis, quæ iam à nobis explicatur, obijcit. 11. Notandum. Concesso, vnum id quod est homo, ex vno solum principio totum suum esse habere, insuper vero alterabile existere, sed ab alio externo, adhuc tamen absurda insequuntur multa: Erit enim id aliud, vel Ens per se existens, sua natura diuersum ab vno quod est homo, atq; tum nec totum vniuersum, nec Entia omnia vnum erunt, quod tamen astruunt antiqui; Vel Enti per se & vni illi inhærens dependenter atq; accidens, quomodo conueniat vni alicui Enti se-
cun-

cundum naturam necesse est. Quia vero omnia Entia vnum, omnibus igitur ex æquo conueniet atq; naturale erit, & consequenter licet ea immutare potest accedendo & recedendo; tamen non præter naturam aut dolore afficere. Dolor enim passio est præter naturam, quæ oboritur in corpore sensus & alterationis capaci ex actione alterius, præter naturam existentis, in illud. Hinc est quod addit autor: Neq; enim esset quod dolorem inferret, si vnum existeret. Sed dices: Vnde nam animalia habent sensum, quo mixta, quę tamen etiã ipsa ex Elementis constantur, destituuntur, cum ex quib⁹ generantur siue Elementa siue alimenta sensus sint expertia? Nunquid propter alterationes plurimas quas sustinent Elementa in animali ex insensibilib⁹ fiunt sensibilia? Sensus enim ab anima sensitiua, quæ forma est inseparabilis superueniens mixtis, quæq; educitur è potentia materiæ ope agentis, ita vt
adsit

adſit in momento, quam primum per præuias alterationes materia vltimationem ſuam receperit; quid ergo mirum ſi per plures alterationes materia Elementorum, quæ potentiam habet ad receptionem omnium formarum corruptibilium, nunc ad hanc, nunc ad illam formam inſeparabilem fiat οἰκεῖα καὶ ἐσχάτη in aliquo mixto. Etſi enim determinatæ ſpecies & diuerſæ inter ſe ſint, mixta & animata, tamen formas habent omnia eiuſdem generis, corruptibiles nempe, quarum quoq; ea eſt ratio, vt ad inuicem ordinentur. Quia itaq; mixta poſſunt ſenſum recipere, & mixtorum formæ ordinantur ad animam, nihil prohibet quo minus illa ope agentis & per varias alterationes transducantur ad genus animatorum: Neq; oportet vt omnis mixti forma pereat, dum aduenit anima, quemadmodum contingit ſi ex albo fit nigrum, Etenim contrarietas vera in ſubſtantialibus formis non reperitur, qua

rum

rum formarum quædam præterea id habent, vt ad inuicem ordinentur. Rectè igitur cum Galeno ſtatuimus ex Elementis primis, quamuis nullum habent ſenſum, tamen, quia in ſe mutuo multifariamq; agere & pati queunt, poſſe, multis interuenientibus particularibus alterationibus ſenſu preditum corpus gigni.

Εἰ δὲ ἓν καὶ ἀλγήσει) Humanius tractare volens aduerſarios ſuos diuinus noſter ſenex, cõcedit illis etiam quod falſum eſt, ſed docet neq; tum poſſe ipſos effugere abſurditates. Inquit ergo: quin etiam ſi doleret vnum exiſtens homo, neceſſe foret, vnum quoq; eſſe remedium, Ratio conſequentiæ hæc eſt. 1. Datur vnum id quod ſunt omnia Entia & totum vniuerſum, preterea calor & frigus tanquam accidentia alterantia & immutantia illud vnum. Alterabunt igitur hæc vel ambo præter naturam, quod dici nequit, cum hominem naturale ſuum eſſe

cum altero duntaxat ipsorum retinere oporteat. Vel vnum secundum, vt calor, alterum præter naturam, vt frigus. Cum igitur vnũ vni duntaxat sit contrarium 1. cœli 9. & curatio, quæ est restitutio pristinæ naturæ, per contraria fiat, frigori amplius contrarius sit calor, vnico ergo calore naturalem suum recuperabit homo perpetuo habitum, quandoquidem amiserit eum per frigus. Vnum igitur remedium pro curandis morbis, qui corpus humanum exercent, sufficit, quod tamen verum non est. 2. Si concedatur etiam vnum specie posse in se agere, pati & dolere a semetipso, tamen verisimile est, vnum non nisi vno modo in se dolorem causare posse: dolorem enim producit, quia sibi contrarium, sed non nisi vno modo contrarium sibi esse valet, quia vnum. Porro curatio etiam fit per contraria, Ergo quia morbus vnus, etiam remedium, quod morbo contrarium, vnum erit, sat igitur
ad

ad curationem vnum remedium omnem, Huc reſpiciens Gal. 1. de Elem. 3. inquit: Si quid a nulla re externa; quandoquidem nulla detur, (ſupple, quia omnia Entia vnum & idem ſunt) pati poteſt, reliquum eſt vt tantum internè à ſua ipſius natura patiatur. At verò cum vnica fuerit ipſa rei vniuscuiusq; natura, vnicus etiam ſtatim futurus eſt affectus. Ergo etiam ratio redeundi in naturalem ſtatum vnica, hæc vero curatio.

TEXTVS VII.

Νυνὶ δὲ πολλά. πολλὰ γὰρ εἰσὶν ἐν τῷ σώματι ἐόντα, ἃ ὁκόταν ὑπ' ἀλλήλων παρὰ φύσιν θερμαίνηταί τε καὶ ψύχηται, καὶ ξηραίνηταί τε καὶ ὑγραίνηται, νόσους τίκτει. ὥστε πολλαὶ μὲν ἰδέαι τῶν νοσημάτων, πολλὴ δὲ καὶ ἡ ἴησις αὐτέων ἐστίν.

Νυνὶ δὲ πολλὰ) Supple tum quæ dolorem inferre poſſunt, tum quę mederi queunt. Quibus verbis non modo tollit autor præcedentes conſequentias, verum etiam Philoſophorum & Medicorum contra quos diſputat,

 tan.

tanquam per rationem alteram euertit ſecundò decretum. Sumitur autem ratio hæc ex eo principio artis Medicæ, quòd nempe morbi fiant in corpore humano, cum quæ hominem conſtituunt Elemẽta in ſe inuicẽ ita agũt, vt vnum alterius ſubuertat temperamentum & vitiet. Quamuis enim à veritate alienum axioma hoc eſſe affirment autoris noſtri aduerſarij, ipſe tamen in ſequentibus id veriſſimum eſſe κατὰ τὸν νόμον, καὶ τὴν φύσιν docebit. Vnde etiam Galenus in commento. In hoc præſenti, inquit, ſermone, recenſet autor ea, quæ ipſe mox oſtendet eſſe, & talia, vt ex iſtis cætera omnia primum generentur. Argumentum fieri poteſt tale: Cuius natura ex ſe variè mutatur, & in præternaturalem ſtatũ deducitur, id multiplex eſt non vnum, aut ſimplex. Oportet .n. vt ſibi modis multis nõ vno tantum fiat contrarium. Hominis temperamentum ex ſe vitiatur & præternaturale fit multis modis.

modis. Experimur quippe quotidiè hominem modò calidiorem, modò frigidiorem, modò humidiorem, modò ſicciorem reddi, quàm ipſius natura & actiones flagitant, neq; tamen externas cauſas ſemper accuſari poſſe. Igitur ab interna cauſa procedunt iſti morbi. Homo ergo non vnum, ſed ex multis, quæ inſunt h. e. quæ inexiſtentia tanquam Elementa ipſum componunt, conſtat. At quæ nam ſunt iſta? Autor text. 14. vocat calidum, frigidum, humidum, ſiccum, quibus verbis Elementa ſignificat, ignem, aërem, aquam, terram. Ex his enim, ſubiungit tex. 16. omnibus, natura animalium & hominis conſtat. Textu vero 18. nominat ſanguinem, pituitam & duplicem bilem, & ex his conſtare corpus hominis, hæcq; ipſius naturam eſſe affirmat, vtrobiq; recte & vere loquens. Sunt enim humores proxima, remota verò hominis & animalium principia, ipſa Elementa. Humores enim ex inter-

uentu alimentorum per ipſa Elementa producuntur. Ex quo videre licet veriſſimum eſſe, id quod ſupra diximus, nempe Hippocratem in his & ſequentibus verbis non modò Medicis, verum etiam Philoſophis ſe opponere. Quia vero iſtis contradicit apertè magis & expreſsè; hinc eſt, quòd in expoſitione textus tertij dixerimus, diuinum ſenem prolixiorem ſermonem inſtituere cum Medicis, quàm cum Philoſophis. Licet enim paucioribus verbis refutauerit Medicorum rationes, tamen implicitè omnes inſtantias, quas contra Philoſophos formarat, etiam Medicis opponit, dum eos eundem cum Philoſophis Epilogum facere teſtatur, & inſuper in euertenda ſententia ipſa, Medicis duntaxat, quaſi cum his ſolis ſibi res eſſet, expreſsè contradicit, eorumq; verba ſolum citat tex.5.6.7. At quomodo mutuo a ſe humores præter naturam afficiuntur, calefiunt, refrigerantur? Id clarè oſtendit do-

dit doctrina humorum, in qua docemur ex naturalibus humoribus fieri præter naturam humores, etiam quando in mixtione partium proportio non obſeruatur. Tum enim fit vt vnius partis temperatura ab alterius qualitate mutetur. Quapropter ſi exempli gratia ſanguis tenuiorum & calidarum partium, quæ bili flauæ reſpondent, plus continuerit, calidior quàm par eſt fiet: ſi craſſiorum & frigidarum plus, quæ Melancholię reſpondent, frigidior iuſto reddetur; qui poſt modum ſi in nutrimentum aſſumatur, partium corporis temperiem quoque mutabit, & ſi mutatio magna fuerit morbos in hominibus producet. Oportet enim vt corpus εὔκρατον conſeruetur humores permanere naturæ humanę ſimiles & conuenientes. Nunquid inquies hæc de humoribus, alijs à ſanguine, excrementitijs nempe, vt cum ſanguine in vaſis, per corpus quadantenus feruntur, vtilitatis cuiuſdam

dam non nutritionis gratia, dici ne-queunt? quod nempe se mutuo calefaciant & refrigerent præter naturam & temperiem partium immutando morbos pariant? possunt quidem eadem de his dici, quod vbi ipsorum aliquis in maiore copia aut qualitate nimium excedente quàm par est colligatur, & per corpus distribuatur, quemadmodum in febribus, cacochimia, ictericia & huiusmodi alijs affectionibus cõtingit &c. morbos is pariat. Verũ ex hoc sensu non liceret Hippocrati hoc loco colligere naturam humanam ex illis tanquam Elementis internè componi, quod tamen eius in hoc libro est consilium & intentio. Sunt enim excrementitij humores, alieni à natura hominis, quapropter in eius constitutioné assumi non possunt. Solum verò sanguinem nutrire, testis est Aristoteles 2. de part. Animal. 3. 4. eiusdem 2. Auerroës 2. coll. 1. Et Galenus qui solo sanguine animalia sanguinea

guinea nutriri plurimis in locis affirmat. Et quoniam non vniforme ſed difforme corpus eſt ſanguis, difformes quoq; in corpore noſtro partes optimè alere poteſt ſolus, quam eius quoq; in partibus diſſimilitudinem vbi è ſanis effluit facilè conſpicimus. Habet enim ſe vt lac, cuius natura absq; ſero, butyro, caſeo, ſimul iunctis partibus ſuis nec dici nec imaginari poteſt. Eodem quoq; modo ſine quatuor, ſpecie & qualitatib⁹ diuerſis, partibus ſuis, quæ ob ſimilitudinem quam habent ad excrementitios humores, horum nominibus appellantur, ſanguis nec dici nec cogitari poteſt. Ex quo exemplo etiam aliud licet colligere, nempe excrementitios humores non eſſe has partes: Specie .n. diſtinguuntur à ſanguine tanquam à parte, ſed ſerum vel butyrum nequit dici pars diuerſa à lacte tanquam alia parte. Eſt enim lac nihil aliud quàm partes ſuæ vnitæ & commixtæ. Quod etiam con-

firmatur ex Galeno 5. de vſu part. 4.2. ad Glauconem 10. vbi clariſſimè docet nullum excrementitium humorem in venis colligi, cum ſplen officium facit, & conueniens victus ratio ſeruatur. De bile flaua idem profert 2. de Natural. facult. 2. ad exemplum Ariſtotelis, qui 4. de parti. animal, 2. bilem inutilem dicit eſſe, & vitæ breuioris cauſam, ſanguiniq; contrariam, nec per venas diſtribui. Adde quod exiguum bilis flauæ magnam ſanguinis copiam, ſi ei commixtũ fuerit, corrumpat amariſſimamq; reddat: cum ſanguis ex ſe dulciſſimus ſit, quamuis eam partem ſibi commixtam, quam per ſimilitudinem bili flauæ reſpondere dicimus, habuerit. Quid? quod nec ea pars, quam bile nutriri volunt, amara percipiatur, pulmo nempe? imò nec ipſe ſanguis guſtatus? Si dixeris obtundi amaritudinem à dulcedine ſanguinis admixti ſ, nondum effugiſti periculum. In parte enim, quæ bile

nutri-

nutriri dicitur, eius amaritudo erit manifesta, quod falsum. Præterea id quod est alimentum eundem cum suo excremento vsum habere nequit, bilis vero flaua excrementum est sanguinis, propterea ceu sanguis nutrire nequit. Quod excrementum sit, inde patet, quia à natura in Epate idcirco à sanguine vero secernitur; Non quod quantitate duntaxat peccet, sed quia qualitate sua sanguinem dulcissimum vitiare amarumq; non reddere non posset. Præterea si distribui simul cum sanguine deberet, cur non huic iunctam eam relinqueret natura? quod si superfluum aliquid eius fuisset, cur non quemadmodum serum in renes & vesicam, sic bilem flauam in fellis vesicam, & nigram in lienem attraheret? Huc accedit quod, si bilis exempli gratia flaua nutriret, vel sola id præstaret quod dici nequit, vel quia in sanguinem conuertitur quod item alienum à ratione est, vel quia sangui-

ni commiſcetur & ex ambobus vnum fit quod nutrit? Atqui hoc modo fruſtra natura prius ſecreuiſſet ea, quæ vnire denuo cogeretur: Et quod de vno dico excrementitio humore de reliquis intelligi quoq; volo. Cæterum notandum, quod dicit Hippocrates in his verbis: Mutationes illas quæ morbos pariunt eſſe præter naturam, id eſt corrumpentes temperiem naturalem non leues affectiones. Hæ ſiquidem non ſtatim bonæ temperaturæ latitudinem tollunt, Idcirco neq; ex neceſſitate morbos ſtatim pariũt in intemperie, ſed tum cum modum exceſſerint. Meminit porro Hippocrates morborum in intemperie ſimplici tantum non eorum qui in compoſita aut mala collocantur conformatione, propterea quòd de alteratione ſimplici ante feciſſet mentionem, & cum Medicis expreſsè diſputaret, quos mutari Ens vnum à calido & frigido concedere ſupra dixerat: deniq; quod

ſatis

ſatis eſſet vnum hoc morborũ genus, ad oſtẽdendum, hominem ex pluribus principijs cõſtare, proinde multifariã ægrotare, nec ſufficere ad curationem vnicum remedium. Quare colligit autor hæc omnia inquiens: Quia multa quæ inſunt in corpore humano modis multis à ſe inuicem præter naturam afficiuntur & morbos pariunt, idcirco multæ quoq; ſunt morborum ſpecies & multiplex eorundem medela. Aliquos enim calidis, alios frigidis, nonnullos humectantibus, quoſdam exiccantibus curamus.

TEXTVS VIII.

Ἀξιῶ δὲ ἔγωγε, τὸν φάσκοντα αἷμα εἶναι μοῦνον τὸν ἄνθρωπον, καὶ ἄλλο μηδὲν, δεικνύναι αὐτὸν μὴ μεταλλάσσοντα τὴν ἰδέην, μηδὲ γίνεσθαι παντοῖον. ἀλλ᾽ ἢ ὥρην τινὰ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἢ τῆς ἡλικίης τοῦ ἀνθρώπου ἐν ᾗ αἷμα ἐνεὸν φαίνεται μοῦνον ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, εἰκὸς γὰρ εἶναι μίαν τινὰ ὥρην, ἐν ᾗ φαίνεται αὐτὸ ἓν ἑωυτῷ ἓν ἐόν. τὰ αὐτὰ δὲ λέγω καὶ περὶ τοῦ φάσκοντος φλέγμα εἶναι, καὶ περὶ τοῦ χολὴν φάσκοντος.

Ἀξιῶ δὲ ἐγὼ) Hæc tertia eſt ratio euertens

uertens prædictorum tùm Medicorum tum Philosophorum decretum, desumpta ab apparentibus in homine. Videmus enim hominem secundum temperiem sæpissimè mutari & omnigenis mutationibus obnoxium esse. Nullum etiam vel anni tempus vel ętas datur, in qua solus aliquis humor in homine siue sanguis ille sit, siue alius reperiretur. Diuiditur porro in duas partes. 1. Supponit ex prius ostensis a nobis, ab Hippocrate autem post confirmandis, temperiem hominis mutari ab actione eorum quæ insunt in homine, & habet hunc in modum. Si vnum specie duntaxat esset homo & idem, non mutaretur: quia enim ex vno duntaxat principio totum suum esse habet, non obtinet in se à quo pati posset & immutari. Atqui transmutat speciem & naturalem suam temperiem, idq; propter multitudinem & actionē in inuicem principiorum ex quibus cōponitur, pro vt hoc

vel illud dominatur. Deniq; omnigẽnis mutationibus obnoxius eſt, vt quotidiana docet experientia. Ergo ſpecie duntaxat vnum, puta vel ſanguis ſolus, vel pituita ſola, vel bilis flaua duntaxat, aut ex Elementis vnum aliquod purum, ſincerum, homo dici nequit. Altera pars eſt occupatio, qua occurrit autor tacitæ obiectioni. Poterant enim aduerſarij obijcere, Vnum ſpecie patitur transmutationem non à ſe vel à cauſa interna, ſed ab externo calore & frigore. Nullum igitur tuum argumentum. Reſpondet autor, nec ſic defendi poſſe iſtud decretum, Homo quod ſit vnum. Ratio eſt, principiorũ imitantur naturam principiata, & præſertim tum, cum externæ cauſæ, quæ illud impedire poterant, ſimiles ſunt principijs. Atqui homo, neq; tum, cum anni tempus eſt ſimillimum ſanguini, aut ætas hominis conuenientiſſima temperamento ſanguinis, neque alijs temporibus, ſolum

lum temperamentum ſanguinis obtinet, retinetque. Ergo principium hominis ſolus ſanguis non eſt. Et amplius, quia nutrimentũ (quod idem eſſe debet cum eo ex quo generatio & compoſitio facta eſt, ex eo enim nutrimur ex quo conſtamus) nullo tempore anni vel ætatis, ſanguis ſolus reperitur, ſed corpus ἑτερογενὲς, ex pluribus Elementis ſpecie differentibus, in vnam tamen formam ordinatis, conſtans, conſequens eſt hominem quoq; non ex vnica & ſimplici natura, ſed pluribus conflatum eſſe. Veritati enim conſentaneum eſt, ſi homo ſolus ſanguis eſſet, & ſolo ſanguine proinde nutriretur, aliquo ſolũ tẽpore añi vel ætatis, in homine, qui ſanguis exiſtit, reperiri ſolũ ſanguinẽ, vel ipſum in ſe ipſo αὐτὸ ἐν ἑαυτῷ vt loquitur Hippocrates. Ex quo ſermone apparet malè quoſdam rationem conſequentiæ deducere ex axiomate Phyſico quod legitur text. 50. 1. Phyſicorum nempe:

δεῖ

δεῖ δὲ τὰς ἀρχὰς ἀεὶ μένειν. Neq; enim sensus est horum verborum, quòd principia nullo modo mutentur, materia siquidem adueniente forma mutatur, priuatio accedente forma perit, sed id docent illa verba, principia prima semper retinere suas proprietates, quarum Aristoteles tex. 42. tres enumerarat. Nunquam enim sunt ex alijs, neq; ex semetipsis, sed reliqua omnia ex illis: quapropter ad præsens negocium non faciunt.

Τὰ αὐτὰ δὲ λέγω) Hæc addit autor vt vniuersalior esset suus sermo. Et quoniam eædem rationes contra Philosophos, de quibus in principio, formari possunt, dubium non est quin obliquè insinuarit easdem quoque contra sapientes omnes, qui vnum dicunt esse hominem.

TEXTVS IX.

Ἐγὼ μὲν γὰρ ἀποδείξω ἃ ἂν φήσω τὸν ἄνθρωπον εἶναι καὶ κατὰ τὸν νόμον καὶ κατὰ τὴν φύσιν, εἰ ταῦτα ἐόντα ὁμοίως, καὶ νέου ἐόντος, καὶ γέροντος, καὶ

τῆς ὥρης ἐούσης, καὶ ψυχρῆς καὶ θερμῆς. καὶ τεκμήρια παρέξω, καὶ ἀναγκας ἀποφανῶ, δι᾽ ἃς ἕκαστον αὔξεταί τε καὶ φθίνει ἐν τῷ σώματι.

Ἐγὼ μὲν ἀποδείξω) Priuſquam autor oſtendat naturam humanam ex pluribus conſtare, remouet dubium, quod obſtare poterat, aſſenſionemq; apud auditores ſuſpendere, dicens: Quæcunq; mihi ab ipſis demonſtrari petiui, eorum nihil quisquam deſiderare poterit in meo ſermone. Etenim quæcunq; ego dixero hominem eſſe, ea ineſſe quocunq; anni tempore ſiue calido ſiue frigido, quacunq; etiam ętate, in iuuene pariter & ſene, demonſtrabo, & quidem tùm ex hominum doctiorum conſenſu & decreto, tùm ex rei natura & per ſenſum. Amplius etiam cum homo temperiem ſuam naturalem propter dominium huius vel illius in ſe humoris amittat, rationes reddam & cauſas, cur neceſſe ſit his anni temporibus hacue ætate hunc, alijs alium ex humoribus & conſtituentibus

bus hominē principijs, incrementū ſuſcipere vel imminui. Atq; horū vtrūq; egregiè præſtitit autor, illud quidem à textu 10. vſq; ad 32. hoc à 32 textu vſq; ad finem libri. Obſeruari hic poteſt quàm ſtudioſe, imitatus fuerit Hippocratem Ariſtoteles. Quemadmodum enim in principio libri autor alienas à propoſito, Philoſophorum & medicorum de natura humana opiniones, iudicauit & tamen eaſdem perpendit, hîc verò ſuam ſententiam confirmare vult νόμῳ καὶ φύσει; ita pari ratione Ariſtoteles in 1. Phyſ. de principijs generationis loquens, Parmenidis & Meliſſi opiniones non pertinere ad Phyſicū tex.8. dicit, & tamen eas conſiderat & refutat in progreſſu, numerum deinde principiorum ſuorum non modo ex loquendi modo, & conſenſu antiquorum confirmat, verum etiam rationibus ex rerum natura modo generationis & corruptionis deſumtis.

Κατὰ τὸν νόμον) Νόμος quanquam nonnunquam rectam rationem & veritatem naturæ rei conuenientem significat, vnde & naturæ lex quædam eſt : tamen aliquando diſtinguitur à natura rei, ac idem ſignificat quod placitum, decretum, exiſtimatio vel opinio plurium hominum, in qua ſignificatione & hoc loco aſſumitur ab Hippocrate, quod idem docet Galenus in commento inquiens : κατὰ τὸν νόμον μὲν ἐστὶ τὸ πρὸς τῶν ἀνθρώπων νομιζόμενόν τε καὶ δοξαζόμενον τῶν παλαιῶν εἰωθότων οὕτως ὀνομάζειν: κατὰ φύσιν δὲ τὸ καθ᾽ ἀυτὴν τῶν πραγμάτων ἀλήθειαν. Et. 1. de Element. cap. 2. κατὰ φύσιν idem ait eſſe quod ἔτεον, & hoc verum ſignificat, cui reſpondet natura rei.

ἐόντα ὁμίως) Duplex reperitur lectio. Alijs enim in codicibus ſic legitur: ἀεὶ ταῦτα ἐόντα ὅμοια καὶ νέυ ἐόντος, in alijs ἀεὶ ταῦτα ἐόντα ὁμοίως καὶ νέυ ἐόντος, poſterior hæc lectio melior eſt & magis perſpicua. Vt vt enim humores in corpore

pore humano, quocunq; tempore anni & ętatib⁹ quibuscũq; assumãtur, specie cõueniant, bilisq; bilis nõ alterius speciem obtineat, tamẽ quantitate & gradu perfectionis secundum anni tempora & ætates plurimũ differunt, senes enim quia calidum natiuum habent debilius, minus perfectè concoquunt alimentum, vnde sanguinem impuriorem & parciores partes mediocres producunt, partes verò terrestriores & sicciores plures, contra vero iuuenes. Eadem ratione in æstate calor externus resoluendo dissipat calorem internum, & ad digerendum reddit impotentem, in hyeme verò constringendo cogit eundem, qui postea vnitus fortius agit in alimentum & sanguinis plus etiam perfectioris producit.

Textvs. X.

Πρῶτον μὲν ἓν, ἀνάγκη τὴν γένεσιν γίνεσθαι, μὴ ἀφ' ἑνὸς. πῶς γὰρ ἂν ἑόν γ' ἕν. τὶ γεννήσειεν, εἰ μὴ τινὶ μιχθείη.

TEXTVS XI.

ἔπειτα οὐδὲ ἂν μὴ ὁμόφυλα ἐόντα μίσγηται καὶ τὴν αὐτὴν ἔχοντα δύναμιν γεννᾷ. οὐδ᾽ ἂν ταῦτα ἡμῖν συντελέοιτο.

Πρῶτον μὲν οὖν) Nunc quod reliquum eſt in hoc opere abſoluere conatur autor, rationibus nempe à ſenſu & opinione doctorum hominum ductis probare quod natura humana non ex vnico, ſed pluribus conſtet Elementis. Et quia de intrinſecis hominis principijs ſermonem habet diuinus noſter ſenex, recte, quæ de generatione dicit, intelliguntur, de internis non externis principijs, & generatio pro conſtitutione rei aſſumitur. Hinc textu 11. Ea quæ non ſunt eiuſdem generis h. e. non communicant in materia, non generant; quaſi diceretur, internè non componunt. Cœleſtia enim cum inferioribus, quamuis eandem non obtineant materiam, tamen ad generationem rerum naturalium faciunt, ſed vt cauſæ externæ & agentes.

Cæte-

Cæterum oſtendit hominem ex plu-ribus componi, vt & ſum̃atim omnia alia compoſita naturalia, rationibus duabus, vna quidem ex modo genera-tionis, altera ex modo corruptionis, deſumptis. Neq; vero de natura lo-quens, hominis propriam naturam in-telligit, de qua textu 18. primum infe-ret, Hominem (inquiens) aio in ſe con-tinere ſanguinem, pituitam & vtram-que bilem; Sed communem homini cum reliquis compoſitis naturalibus, nempe eam quæ ex Elementis eſt, & ex ijs tanquã principijs intrinſecis con ſtat. Prima ratio talis eſt; Quicquid generatur ex compoſitis, mixtionem ſubire debet, vnũ ſibi miſceri nequit, Ergo ex vno nihil generatur, conſe-quenter nec homo. Maior per indu-ctionem facilè confirmatur. Etenim mixtorum generatio aliud nihil eſt quàm mixtio, in viuentibus verò & animalibus generatio præſupponit mixtionem, mixtorum enim formis

 ſuper-

ſuperuenit,in viuentibus anima vegetatiua,in animalib⁹ amplius ſenſitiua, quę cauſa eſt quòd pereunte anima nō cito res tranſeat in Elementa, ſed in mixtū inanime corpus. Minor ab ipſo met autore probatur ex conditionibus miſcibilium. Miſcibilia enim vt perpulchrè etiam docet Ariſtot. 1.de Generat. & corrupt. capitibus poſterioribus, debent habere eandē materiam, debent ad inuicem agere & pati poſſe, debent per ſe & ex ſe ſubſiſtentia corpora & εὐόριστα eſſe; Quæ porro eaſdem habent vires, in ſe non agunt, nec à ſe mutuo patiuntur, actio enim à prædominante non ſimili fit. Rurſus ſi res in materia non communicent, ſed diuerſi ſint generis, à ſe mutuo non patientur. 1. de Ortu & Inter. text. 53. Patet igitur quòd plura oportet eſſe quæ miſceri debent. Imo non plura tantum ſecundum materiam, ſed etiam ſecundum formam quaſi & temperiem, ideoq; certo etiam modo affecta,

cta, ita videlicet ne alterum alteri nimium præualeat aut facultate aut mole, & proinde illud prorſus corrūpat perdatue. Quare ita ſe habeant ad inuicem omnia oportet, vt in ſe mutuo agant, & agendo excellentias ad inuicem duntaxat corrumpant, 2. de Ortu 48. & tum demum temperie numeroq; & proportione certa atq; in mediocritate coëant, potentijs adæquentur junganturque; Miſcibilia ſiquidem in vnione non perire & corrumpi, ſed manere debent; quod tū demum fit, vbi vnum alteri nimium non dominatur: Et licet in animatorum generatione vnum alteri prædominetur nimium, adeoq; corruptio fiat, tamen hæc non eſt miſcibilium ſed temperaturæ & formæ prioris, quam ad nouam mixtionem concurrere non eſt neceſſe. Iſta autem miſcibilia denuo agendo & patiendo ſe inuicem in excellentijs frangunt, donec conuenienti rurſus modo coëant, & per no-

uam temperiem miſceantur, mixtaq; ad aliam formam vltimentur. Quæ cum ita ſint, rectè concludit autor inquiens: Si ex pluribus, ex quibus fieri debebat, mixtio ſemper non fit, nempe cum miſcibilia illa plura diuerſi ſunt generis, aut eandem omnino agendi & patiendi vim habent, aut inter ea nulla proportio eſt, ſed vnum alteri multum antecellit, ideoq; tanquam fortius ſuperat & corrumpit (quapropter etiam talia nec poſſunt, quamuis miſcerentur iungerenturque, generare alia ita vt inſint in ijs, nec ad noſtram generationem quicquam conferre intrinſece: id enim ſignificat verbum συντελεῖν; vnde cognoſcimus exemplum Galeni huc non facere, cum de internis principijs hominis non externis autori ſermo ſit: neq; aliorum expoſitionem ad rem eſſe, qui pro ταῦτα legunt ταυτὰ & hominẽ aliaq; ſanguinea animalia eadem eſſe dicunt ſecundũ mentem Ariſtotelis 5. Meta-

Metaphys. 7. quia eandem materiam habent. Etenim sic inquit autor ἔπειτα ἐδὲ γεννᾷ. οὐδ᾽ ἂν ταῦτα ἡμῖν συντελέοιτο ἐὰν μὴ ὁμόφυλα &c. h. e. deinde eà nihil generabunt ex alijs, neq; etiam quicquam conferent ad nostram generationem, nisi fuerint eiusdem generis &c. non autem neq; generabunt quicquam nec perficient ea quæ nobis sunt eadem) quomodo ergo ex vno, ex quo fieri non videtur, mixtio orietur? Si igitur vnum sibi ipsi misceri atque inter se têperari nequit (est enim & crasis multorum diuersorum ad vnum communem effectum concurrentium) quomodo vnum poterit generare. Est verò obseruandum autorem mox declarare ea, quæ ad mixtionem concurrunt, dicendo: Si calidum & frigidum, siccum & humidum moderate inter se non sunt affecta &c. Assumit autem hæc, primò propterea quod supra tex. 7. ostenderat, corpora quæ mixtis insunt & mutuo adhærent, transmutationem

onem accipere, dum à se inuicem vel calesiunt, vel frigesiunt, vel exiccantur, vel humectantur. Hę.n. primę suntqualitates & communiss. agentia, 2. de ort. & inter. quæ solę (aliarũ.n. qualitatum tactiliũ nulla, nõ leue, non rarum, non densum, non tenue, si molle, si friabile quid faciunt, id quia humidum & siccum præstant; ad aliorum autem sensuum qualitates, alterationes materiæ non consequuntur, quemadmodum id perpulchrè Galenus. 1. de Elemen. cap. vltimo ostendit) totam substantiam alterare possunt, id quod in mixtione necessario fit, quandoquidem quælibet pars mixti, mixta esse debeat. Ex quibus sequitur tacitè etiam his verbis Hippocratem ostendere, perperam omnes alios generationẽ exponere, qui eam vel per cõcretionem & discretionem insensibilium, vel coniunctionem & separationem intransmutabilium fieri asseruerunt. Debet enim illa fieri per alterationem totius substantiæ.

ſtantiæ. Secundo, vt rectius inferre poſſit & in hoc 14. & ſequenti 18. textu hominem quoq; ex quatuor illis cõſtare. Cum enim neceſſariò ex multis & quidem alterantibus totam ſubſtantiam compoſitorum omnium fiat conſtitutio, totam vero ſubſtantiam alterare non poſſint qualitates aliæ præter primas tactiles, quæ ipſis Elementis inſunt, neceſſe eſt vt & homo ex quatuor illis elementis, ad quæ denotanda Hippocrates vtitur nomine calidi, frigidi, humidi & ſicci, componatur, & ex illis quidem vt ſunt vniuerſi Elementa & ex ſe ſincera, ſed quando conſtituunt, inuicem commiſcentur & contemperantur. Propterea enim ſupra autor dixerat mixtionem ad generationem eſſe neceſſariam. Sincera quippe Elementa quâ ſincera nihil generant, mixtum verò quod ex illis gignitur, vna quadam vel etiam duab⁹ qualitatibus excellens, non eſt primum vel vltimum aut commune om-

ne omnibus Elementum, qualia tamen hoc loco Hippocrates intelligit, imo in Elementa resolui debet, & numero quidem quaternario finita. Quapropter rectè exponitur autor de ijs, quæ sub mixtione in his latent, quæq; causa sunt, quòd alia quorum infinita sunt numero, calida, frigida, humida, sicca dicantur. Ex his omnibus concludit Hippocrates, quia eadem est ratio generationis & naturæ (quo ad communia, ex quibus constituitur, principia) tum hominis tum aliarum rerum, vtpote quòd omnes generantur per alterationem totius substantiæ, quæ fit beneficio qualitatum quatuor Elementis inexistentium, hominem ex vno quoque Elementorum puro ortum non esse, sed ex tot, ex quot composita alia, quorum etiam singula principia in generatione hominis assumpta, eundem vsum præstant, & vim habent in corpore humano constituendo, quam contulerunt

ad naturam aliarum omniũ rerum. Sic enim exponendum autorem nostrum arbitror, non secundũ quosdam. (Singula quæ ad hominis generationem assumuntur, eandem post generationem in corpore constituto vim habent, quam ante constitutionem in principio ortus cõferebant.) Ratio est, quòd secundum eandem comparationem, quam instituerat autor in verbis prioribus, debeant intelligi etiam posteriora verba. Contulit autem non principia inter se, puta qualia fuerunt ante generationem & qualia remaneant post generationem in corpore constituto, sed contulit Elementa aliarum rerum cum principijs hominem constituentibus, conclusitq; ea eadem esse & in substantia & in numero. Nunc igitur in eundem vsum quoq; ea vbiq; assumi docet. Taceo quod expositio illa multa superaddat, quæ non cuiuis ex præcedentibus sunt obuia.

TEX-

TEXTVS XII.

Καὶ πάλιν εἰ μὴ τὸ θερμὸν τῷ ψυχρῷ, καὶ τὸ ξηρὸν τῷ ὑγρῷ μετρίως πρὸς ἄλληλα ἕξει καὶ ἴσως, ἀλλὰ θάτερον θατέρου πολὺ προέξει, καὶ τὸ ἰσχυρότερον τοῦ ἀσθενεστέρου, ἡ γένεσις οὐκ ἂν γένοιτο.

TEXTVS. XIII.

Ὥστε πῶς εἰκὸς ἀπὸ ἑνὸς τὶ γεννηθῆναι; ὅτε γε οὐδ' ἀπὸ τῶν πλειόνων γίνεται, ἢν μὴ τύχῃ καλῶς ἔχοντα τῆς κρήσιος τῆς πρὸς ἄλληλα.

TEXTVS XIV.

Ἀνάγκη τοίνυν τῆς φύσιος τοιαύτης ὑπαρχούσης; καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων καὶ τῆς τοῦ ἀνθρώπου, μὴ ἓν εἶναι τὸν ἄνθρωπον. ἀλλ' ἕκαστον τῶν ξυμβαλλομένων ἐς τὴν γένεσιν ἔχειν τινὰ δύναμιν ἐν τῷ σώματι, οἵηνπερ ξυνεβάλλετο.

TEXTVS XV.

Καὶ πάλιν γε ἀνάγκη ἀποχωρέειν εἰς τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ἕκαστον, τελευτῶντος ἀνθρώπου, τό τε ὑγρὸν πρὸς τὸ ὑγρὸν, καὶ τὸ ξηρὸν πρὸς τὸ ξηρὸν, καὶ τὸ θερμὸν πρὸς τὸ θερμὸν, καὶ τὸ ψυχρὸν πρὸς τὸ ψυχρόν.

TEXTVS. XVI.

Τοιαύτη δὲ καὶ τῶν ζώων ἐστὶν ἡ φύσις, καὶ τῶν ἄλλων πάντων.

TEXTVS XVII.

Γίνεται

Γίνεταί τε ὁμοίως παντα, καὶ τελευτᾷ ὁμοίως παντα.

Textvs XVIII.

Ξυνίσαται γὰρ αὐτέων ἡ φύσις, ἀπο τουτέων τῶν προειρημένων πάντων και τελευτᾷ κατὰ τὰ εἰρημένα εἰς το ἑωυτὸ. ὅθεν περ ξυνέστη ἕκαστον, ἐν ταῦτα οὖν καὶ ἀπεχώρησε:

Και πάλιν) Hæc ſecunda eſt ratio qua probat autor humanam naturam cōponi ex pluribus, deſumpta à modo corruptionis, eſtq; talis. Compoſitum omne vt generatur, ita etiam interit h. e. diſſoluitur in ea ex quibus componitur, reditq; eò vnde ortum eſt. Atqui omne compoſitum ex calido, frigido, humido & ſicco, quæ ſunt quatuor Elementa, ſecundum ſubſtantiam, componitur, id quod ſupra oſtenſum eſt. (Atq; hinc dicit Hippocrates: conſtat enim natura omnium ipſorum ex prædictis quatuor omnibus.) Ergo in eadem diſſoluitur in ſua quoq; corruptione. Maior eſt manifeſta per ſe, & axioma quod ex ſe conceditur de componentibus immanenti-

bus secundum speciem, alia enim quæ secundum materiam tantum, vt ouum pulli constitutionem aut alimenta humorum promouent, non remanent: nec producuntur denuo per resolutionē eorum quæ genuerunt. Propterea inquit Hippocrates, Necesse est singula componentium denuo redire ad cognatam suam naturam, quod id fieri negari nequeat, nec etiam aliter fieri possit. Inquies, si cōponentia sunt Elementa, quî redibunt in Elementa? Ab esse refracto ad esse perfectum & determinatum secundum propriam speciem, h.e. fiunt, nisi ad nouam mixtionem reassumantur, denuo Elementa determinatæ speciei & partes vniuersi simplices, cum antea in gratiam mixtorum subiecta essent ad instar nudæ materiæ alteri formæ à qua determinabantur. Minorem confirmauit Hippocrates supra. Nunc vero conclusionem hoc modo ostendit. Omnium compositorum animatorum & aliorum

rum, quo ad naturam & generationis principia, eadem eſt ratio, vt ex prædictis patet. Ergo corruptionis quoq; eorundē ratio erit eadem. Quod igitur de vno compoſitorum dicitur, de reliquis quoq; intelligi debet. At ex homine dum reſoluitur oriuntur humidum, frigidum, ſiccum, calidum, h. e. Ignis, aër, aqua, terra, Ergo ex his etiam componitur homo, & conſequenter in corruptione hominis quodlibet componentium ad ſuam naturam, vel ipſum in ſeipſum id eſt ad ſuam ſpeciem determinatam, vt in principio erat, humidum nempe ſub mixtione latens, ad humidum vniuerſi Elementum, terra ad terram, &c. redit. Quia vero id de homine contingit, etiam in aliorum, tum homini ſecundū materiam proximā ſimilium animaliū, tum mixtorum compoſitorū, corruptione contingere neceſſe eſt, generantur enim ſimiliter, & occidunt ſimiliter omnia compoſita. Quare corruptionem

hominis de morte intelligere non debemus, sed de ea corruptione per quam conuenit homo cum omnibus alijs mixtis. Horum enim naturam eandem cum hominis & animalium natura hoc loco dicit autor, & pro eadem atq; simili quoq; habet. Generationem item supra communem assumpserat, quapropter communem etiam hîc corruptionem & non hominis, qua homo, aut qua animal intelligit.

TEXTVS XIX.

Τὸ δὲ σῶμα τοῦ ἀνθρώπου, ἔχει ἐν ἑωυτοῦ αἷμα καὶ φλέγμα, καὶ χολὴν διττὴν, ἤγουν ξανθήν τε καὶ μέλαιναν. καὶ ταῦτ' ἐστὶν αὐτέῳ ἡ φύσις τοῦ σώματος, καὶ διὰ ταῦτα ἀλγέει καὶ ὑγιαίνει.

TEXTVS XX.

Ὑγιαίνει μὲν οὖν μάλιστα, ὁκόταν μετρίως ἔχῃ ταῦτα τῆς πρὸς ἄλληλα κρήσιος, καὶ δυνάμιος, καὶ τοῦ πλήθεος, καὶ μάλιστα, ἢν μεμιγμένα ᾖ.

TEXTVS XXI.

Ἀλγέει δὲ, ὁκόταν τι τουτέων, ἔλασσον ἢ πλεῖον ἔῃ, ἢ χωρισθῇ ἐν τῷ σώματι καὶ μὴ κεκρημένον ᾖ τοῖσι ξύμπασιν.

TEX-

TEXTVS XXII.

Ἀνάγκη γὰρ, ὁκόταν τὶ τουτέων χωρισθῇ, καὶ ἐφ' ἑαυτῷ στῇ, ἔνθεν τε ἐξέστηκεν οὐ μόνον τοῦτο τὸ χωρίον νοσερὸν γίνεται, ἀλλὰ καὶ ἔνθα ἐπιχυθῇ ὑπερπιμπλάμενον, ὀδύνην τε καὶ πόνον παρέχειν.

TEXTVS XXIII.

Καὶ γὰρ ὅταν τι τουτέων ἔξω τοῦ σώματος ἐκρυῇ πλεῖον τοῦ ἐπιπολάζοντος ὀδύνην παρέχει ἡ κένωσις.

TEXTVS XXIIII.

Ἤν ταῦτα πάλιν ποιήσηται εἴσω τὴν κένωσιν, καὶ τὴν μετάστασιν, καὶ τὴν ἀπόκρισιν ἀπὸ τῶν ἄλλων πολλὴ αὐτέῳ ἀνάγκη διπλῆν τὴν ὀδύνην παρέχειν κατὰ τὰ εἰρημένα, ἔνθεν τε ἐξέστη καὶ ἔνθα ὑπερέβαλεν.

Τὸ δὲ σῶμα τοῦ ἀνθρώπου) Corporis humani nunc proxima docere volens principia autor præſupponit primò ea plura eſſe, non numero tantum, verum & ſpecie, mox autem idem demonſtrabit. In præſenti igitur nominat duntaxat, inquiens. Eſſe ſanguinem, pituitam, bilem flauam, bilem nigram. Quibus verbis non excrementitios humores, cuiuſmodi eſt bilis flaua, quę in folliculo fellis colligitur, Item ni-

gra, quæ in liene continetur &c. Sed vnius humoris, ſanguinis propriè dicti, quatuor diuerſas naturas & partes, quæ ob ſimilitudinem, quam habent cum illis, ipſorum nominibus vulgo vocari ſolent, ſignificat. Neq; enim iſti (qui licet ſecundum naturam & neceſſariò producantur, vſumq; corpori præbeant, non tamen per ſe, ſed per accidens generantur, corpusq; nutrire non poſſunt, vt prolixè in præcedentibus, & in tractatu noſtro de vniuerſis totius corporis humani humoribus docuimus) intrinſecè conſtituunt naturam humanam, cuius tamen elementa & principia interna hoc in libro autor inquirit, tradit, exponit, (quemadmodum colligitur ex verbis huius textus, in quo dicitur, continet quatuor iſta corpus humanum, ita vt natura eius inde conſtituatur &c.) Solus autem ſanguis ex humoribus eſt, ex quo toti ſecundum partes omnes (ipſum enim ſemen, ſpermaticarum

prin-

principium, quoque ex ſanguine oritur.) diuerſis tamen & numero pluribus interuenientibus eius alterationibus, cõſtamus, & ad cuius ablationem humores alij omnes, imò etiã partium omnium generatio conſeruatioq; auſertur. Quamobrem non immeritò ſolum ſanguinem in nutrimentum aſſumi ab omnibus partibus aſſerimus. Minimè enim ſimplex & vniforme is eſt corpus, adeoq; inſufficiens ad producendas alendaſue totius corporis humani partes, quæ variæ ſunt, verum difforme, &, vt Ariſtoteles 2. de part. animal. loquitur, ex partibus, quæ inuicem tam in eodem quam in diuerſis differunt indiuiduis, pluribus conſtitutum. Atq; hæ partes naturam ſanguinis ita conſtituunt, vt niſi in hac ſua partium varietate ſpectari definiriue ea non poſſit. Vnde fit vt ab ijſdem, quæ à facultatibus quibus pollent & qualitatib⁹, Calidæ ſiccæ tenues: Calidæ humidæ mediocres: Frigi-

dæ ſiccæ terreſtres; Frigidæ fluidæ, humidæ: vocari poſſunt, natura etiam humana tanquam à principijs internis adeò dependeat, vt ſi hæ rectè habuerint, ipſa quoq; ſana ſit, ſin minus, ægrotet. Fieri enim non poteſt, vt id morbo citra vim laboret, cuius principia interna (per quæ affectiones omnes de ſubiecto demonſtrantur) & partes ſecundum naturam ſunt affectæ. Tunc verò ſecundum naturam habent cum proportionatæ (quamobrem etiam illi, qui per ſolam connexionem intranſmutabilium Elementorum, vt Empedocles, generationem fieri arbitrati ſunt, voluêre tamen moderationem obſeruari in tenuibus meatibus nuncq; ampliorem fieri conſtitutionem eorum, nũc anguſtiorem πωροποῖαν vocabant, quemadmodum Galenus in commento, & de differ. morb. 4. monet.) fuerint ad inuicem, tùm reſpectu quantitatis tum qualitatis, cum ratione totius, tùm ratione ſingularum

larum eius partium. Oportet enim totum id ſecundum quamlibet ſui portionem ita eſſe commixtum, vt nulla ſit pars in qua non liceat omnes illas naturas ſub debita itidem quantitate, & ſecundum adæquatas potentias vnitas reperire. Hinc autor, Quando ea quæ in ſe continet corpus, (tum vt principia prima internè conſtituentia, tum vt Elementa, per nutritionem poſt partes conſtitutas conſeruantia,) non modo in toto inter ſe moderatè affecta fuerint in qualitate & quantitate, verum etiam ſecundum totius ſingulas portiones ſpeciatim exactam mixtionem ſuſtinuerint (fieri enim poteſt vt quæ totum conſtituunt, quantitatem & qualitates moderatas atq; vnitas, obtineant in toto, non autem in qualibet totius particula. Atq; hoc intelligere videtur diuinus noſter ſenex inquiens καὶ μάλιστα ἦν μεμιγμένα ᾖ. Etenim mixtionem vel vnionem in toto partium quantitatiuarum cõue-

nientem, & temperiem qualitatum commensuratam, iam ante denotauerat in verbis (moderatum ad inuicem temperamentum in qualitate & quantitate) Nunc denuò tanquam tertium requisitum addit, mixtionem, nempe in singulis partibus, quæ prioris vnionis & temperaturæ est perfectio, cui post opponet segregationē, per quam minimè significat diuulsionem quatuor istarum naturarum in sanguine, quæ enim huius portio non contineret omnes quatuor naturas, ea sanguis non esset, cum sine commixtione omnium istarum substantiarum, quæ tamen, pro varietate temperamentorum & natiuæ partium constitutionis, varia esse potest, sanguis definiri nequeat, sed eam naturarum in sanguine separationem, quę perpenditur ex quantitate aut qualitate illarum in portionibus singulis totius sanguinis commixtarum;) tum, vbi hæc omnia (ad construendum enim multa, ad destruendum

endum autem vnum ſufficere poteſt inquit in Topicis Philoſophus) illi humores, qui ſanguinis naturam conſtituunt, in toto & qualibet eius parte habuerint, & à partibus corporis in nutrimentum, aut à formatrice facultate in generationem & conſtitutionem membrorum aſſumpti fuerint, ſanum maximè conſeruabitur & producetur hominis corpus. Quamprimum vero aut iſtarum naturarum aliqua in iuſta quantitate reſpectu totius non colligitur, vt ſi totus ſanguis in corpore biloſior aut craſſior generaretur, vel propter alimenta, vel alias externas ob cauſas, & exempli gratia cum calidarum tenuium ſiccarum partium produci deberent vnciæ duæ, vix drachmæ 12. generarentur. Contra vero frigidarũ ſiccarum terreſtrium, quarum vix drachmæ ſex adeſſe deberent, producerentur drachmæ decem. Aut quantitatem quidem debitam omnes obtinent, ſed potentijs non adæquan-

æquantur adeoq; inter se ritè contemperari nequeant, sed vna alterius qualitatem nimium corrumpat & debilitet. Vt si exempli gratia partium tenuium calidarum qualitas, quæ ad grad. ij aucta esse debebat, incrementum susceperit & ascenderit ad grad. tres & dimid. ac proinde frigiditatem reliquarum obtundat, calorem mediocrium, crassarumq; terrestreitatem, humiditates ipsarum magis magisq; exiccando, adaugeat. Aut si respectu totius sanguinis in epate geniti, in quantitate & qualitate moderatæ essent & vnitæ substantiæ omnes, neq; tamen ritè secundum portiones sanguinis distributę, eò quod in eo partes aliquæ accuratè elaboratæ, quædam minus perfectæ fuerunt. (Hinc enim fit vt quantitatis huius naturæ in hac parte sanguinis plus, in alia minus contineatur,) aut si quantitas quidem debita sit omnium, qualitates tamen aut excedentes aut nimium remissæ reperian-

riantur, adeoq; dum per venas in corpus ad alias partes deducitur totus ſanguis, membra quædam portionem eius non ſatis mixtam, h. e. deficientem in alicuius naturæ quantitate aut qualitate recipiant; quædam aliam portionem eiuſdem, in qua natura aliqua aut quantitate aut qualitate redundat, atq; ita ſeparetur quantitas aut qualitas ſubſtantiarum conſtituentium ſanguinem ab alimento iſtorum membrorum & deferatur ad hæc membra, in quibus reperiri non debebat, & in horum alimento ἐφ' ἑαυτῷ exiſtat, h. e. non ſola (ſanguinis enim adeoq; alimenti nulla portio poteſt eſſe abſq; commixtione omnium quatuor ſubſtantiarum) ſed præ alijs conſpicua ſit natura aliqua: tum dolet & ægrotat dem corpus. Cæterum cum ad illam ſeparationem, quæ fit cum decremento qualitatis aut quantitatis neceſſariæ in aliqua natura ſanguinis, modo expoſito (Si enim citra id contigerit, &
ſolum

ſolum quia abundat, quantitas ſepa-retur atq; extra corpus expellatur, na-turæ excretio abſq; dolore & labore erit, Et forte hæc cauſa eſt quòd dixe-rit Hippocrates ὅταν τι τουτέων ἔξω τοῦ σώματος ἐκρυῇ πλεῖον τοῦ ἐπιπολάζοντος, quaſi dice-ret, cum extra corpus alicuius naturæ quantitas aut qualitas, quæ in portio-ne quadam ſanguinis neceſſaria erat & nõ redundabat, effluxerit &c.) con-ſequatur translatio ſeparatæ quanti-tatis aut qualitatis ad aliud mem-brum, & vel intra corpus ea detinean-tur, vel à natura, quam aut copia aut qualitate ſua moleſtant, extra corpus expellantur, fit vt dolores etiam in corpore nunc maiores nunc minores exoriantur. Etenim ſi extra corpus ex-pellantur, ęgrotat duntaxat ea pars, in cuius ſubſtantiam ſeparata naturæ cuiuſdam quantitas pro mixtione, vel qualitas pro temperie cedere debe-bat, ob inæqualem vero diſtributio-nem & temperiem, atq; commixtio-

nem naturarum in singulis partibus sanguinis non cessit, verũ aliò sub alimento delata, post tamen extra corpus exijt. Vbi vero ad intra, in parte aliqua corporis, sub alimento, eiusdem naturæ qualitatis seu quantitatis (cuius autor in præsenti, quia ex prius dictis de qualitate iam constare poterat, præsertim meminisse videtur) ab aliqua portione sanguinis in qua existere debebant secretarum & in aliam deriuatarum retentio fit, tum non illud duntaxat laborat membrum, quod conueniente temperie aut mixtione partium alimenti sui destituitur: Verum etiam id, ad quod redundantia istius naturæ peruenit, quandoquidem ob copiam redundantis naturæ, aut qualitatem excedentem, aggrauetur & in agendo impediatur; præsertim si expulsionis modus, vel ob ductuum ineptitudinem, vel alimenti terrestreitatem & partium debilem virtutem non sit obuius. Et tum ex

soluti-

ſolutione continui dolor καὶ πόνος id eſt acceſſiones & ſymptomata grauiora alia ſuboriuntur. Hoc modo mihi videtur exponendũs in his verbis Hippocrates. Quamuis enim de excrementitijs naturalibus humoribus rectè dicatur quod ſua cùm quantitate tùm qualitate lædant, quod item ſi extra vaſa, in quibus naturaliter continentur, effundantur in alias corporis partes (vt ſi in orificium ventriculi ex folliculo felleo deturbetur exempli gratia bilis flaua) morbos pariant: tamen quia hos commiſceri cum ſanguine & in nutrimentum partium aſſumi ſanitas corporis prohibet, ſeparatio item ipſorum à ſanguine neceſſaria & corpori commodiſſima, atq; à natura vt in Epate exactiſſimè 2. de natur. facult. fiat præſcripta ſit, non video quomodo de his verba diuini noſtri ſenis præſentia intelligi poſſint. Omnem porro ſanitatis morborumq; cauſam Hippocrates petit ex quatuor humo-

humoribus, quod ipſa etiam conſtitutio & conformitas, humoribus tanquam primis & proximis Elementis attribuatur, cum ex ijs partes ſimilares, vnde diſſimilares, ex quibus tandem totum corpus & organa conſtituuntur. Quod ſi ab externis cauſis mutatio conſtitutionis fiat, tum caſu potius, & per accidens, quàm per ſe id contingere putandum eſt; fortuita verò arti non ſunt adeo curæ. Quando autem primo de morbis Hip: morborum cauſas dicit bilē & pituitam, tunc reſpicere videtur ad humores excrementitios, ex quibus frequentius morbi fiunt.

TEXTVS XXV.

Εἶπον δὴ ἃ ἂν φήσω τὸν ἄνθρωπον εἶναι ἀποφαίνειν ἀεὶ ταῦτα ἐόντα καὶ κατὰ νόμον καὶ κατὰ φύσιν· φήμι δὴ εἶναι αἷμα, καὶ φλέγμα, καὶ χολὴν, ξανθήν τε καὶ μέλαιναν. καὶ τουτέων πρῶτον μὲν κατὰ τὸν νόμον τὰ ὀνόματα διωρίσθαί φημί. καὶ οὐδενὶ αὐτέων τὸ ὠυτὸ ὄνομα εἶναι. ἔπειτα τὰς ἰδέας κατὰ φύσιν κεχωρίσθαι, καὶ οὔτε το φλέγμα οὐθὲν ἐοικέναι τῷ αἵματι, οὔτε τὸ αἷμα τῇ χολῇ, οὔτε τὴν χολὴν τῷ φλέγματι. πῶς

γὰρ ἂν ἐοικότα εἴη ταῦτα ἀλλήλοισιν, ὧν οὔτε τὰ χρώματα ὅμοια φαίνεται προσορώμενα, οὔτε τῇ χειρὶ ψαύοντι ὅμοια δοκέει εἶναι, οὔτε γὰρ θερμὰ ὁμοίως ἐστὶν, οὔτε ψυχρὰ, οὔτε ὑγρά.

TEXTVS XXVI.

Ἀνάγκη τοίνυν ὅτι τοσοῦτον διήλλακται ἀλλήλων τὴν ἰδέην τε καὶ τὴν δύναμιν, μὴ ἓν αὐτὰ εἶναι, εἴπερ μὴ πῦρ τε καὶ ὕδωρ ταυτόν ἐστι.

Εἶπον δὴ ἃ ἂν φήσω) Iam incipit autor demonſtrare quòd proxima & intrinſece conſtituentia hominis principia plura ſint, & ea quidem quæ ante enumerarat. Facit autem id per duplicem illum modum, quem ſupra aſſumere ſibi propoſuerat, nempè per conſenſum & opinionem ſaniorum hominũ, nec non per ipſam naturã: ἐκ τοῦ νόμου hoc modo: Ita cõuenit inter homines, vt ſanguis hoc nomine non alio vocari debeat, bilis vero bilis, pituita pituita; nec licet (quemadmodum fieri poteſt tum, cum nominibus diuerſis res diuerſæ non ſignificantur) nomina inter ſe confundere. Ergo conſenſu & opinione ſaniorum, omnino diſtin-

ẻti

cti ſunt & ſpecie diuerſi humores, & quidem quocunq; anni tempore & in omni ætate hominis; hoc enim volunt ſibi verba, ἀεὶ ταῦτα ἐόντα. Ἐκ δὲ τῆς φύσεως hac ratione. Cum eſſentiæ rerum ipſæ ſenſu non cognoſcantur, ſed per qualitates & accidentia incurrentia in ſenſus appræhendantur, rectè in quibus cum viſiles tùm tactiles qualitates plurimum (leuis ſiquidem differentia non ſignificat ſpecierum diuerſitatem neceſſario) differre videmus, ea ſpecie quoq; diſtincta eſſe colligimus. Atqui humores dicti, in homine, qualitatibus, cum quæ viſu iudicantur, tum quæ tactu metiuntur, primis, & ſecundis, id eſt cõſiſtentia, adeò diſcrepant, vt in ijs nunquã conueniant, vtut ſub conuenienti proportione in vnam ſanguinis naturam coëant, vt totum corpus alere poſſint. Semper enim quam ſanguinem vocare licet, calida, humida, mediocris, & ob meliorem elaborationem ac iuſtam concoctio-

nem rubicunda exiſtit; bilis, calidior ſiccior tenuior, & ob maiorem concoctionem flaua: humida, frigida, tenuior, albior, pituita: frigida, ſicca, craſſior, nigrior, Melancholia; id quod manuum teſtimonio tanquam certiſſimo (præſertim ſi viſus conſentiat, hinc ſi quid certò confirmare volumus vidiſſe nos & contrectaſſe id dicimus.) Ad tactum enim quædam ſanguinis propriè dicti partes tenuiores, quædam craſſiores percipiuntur: Nec non paſſionibus quas ab illis corpus ſuſtinet (quantumuis enim omnes humores actu corpora ſint humida & fluida: tamen poteſtate quidam ſicci, quidam humidi ſunt; comparatione etiam, qui minus fluit, reſpectu alterius fluidioris, ſiccior dici meretur) caleſit enim à partibus, quas ſanguinem & bilem vocare poſſumus; frigeſit à pituita & Melancholia, humectatur à ſanguine & pituita, exiccatur à bile flaua & nigra, confirmari poteſt. Hinc

eſt

est quod qui calidiorum, tenuiorum, siccarum & flauarum partium plures, quàm reliquarum in sanguinis natura & alimento corporis colligunt, caliditate & siccitate complexionis secundum naturam, alia indiuidua longè antecellant; qui autem frigidarum, albiorum, humidarū plures, etiam cibos pituitosiores magis appetāt, quàm alij diuersæ complexionis homines. Patet igitur ex dictis, partes sanguinis specie & vi differre nō aliter ac aquā & ignē: quæ vt vt in vno mixto reperiuntur, tamen quia qualitatibus plurimum differre constat, pro ijsdem & vno assumi aut haberi nequeunt. Sed inquies. Elementi est secundum speciem non distingui. Sanguis est Elementum corporis, ergo &c. Nunquid etiam Elementum dicitur id, quodcunq; corpore suo ingreditur constitutionem rei, qualecunque sit? sic alimenta humorum, humores partium corporis elementa dicuntur; Imo quia sanguis ex

simplicibus Elementis componitur, quoniam in hac parte eius hoc, in alia aliud dominium obtinet elementum, hinc fit quod ex partibus diuersis specie eius natura sit conflata.

Textvs. XXVII.

Γνοίης δ' ἂν τοῖσδε, ὅτι οὐχ ἓν ταῦτα πάντα ἐστὶν, ἀλλ' ἕκαστον αὐτέων ἔχει δύναμίν τε καὶ φύσιν τὴν ἑωυτέου. ἢν γὰρ τινὶ διδῷς ἀνθρώπῳ φάρμακον, ὅ τι φλέγμα ἄγει, ἐμέεται σοι φλέγμα, καὶ ἢν διδῷς φάρμακον ὅ, τι χολὴν ἄγει ἐμέεται σοι χολήν. κατὰ τὰ αὐτὰ δὲ καὶ χολὴν μέλαιναν καθαίρει, ἢν διδῷς φάρμακον, ὅ, τι χολὴν μέλαιναν ἄγει, καὶ ἢν τρώσης αὐτέω τοῦ σώματος μέρος τι, ὥστε τραῦμα γενέσθαι, ῥυήσεται αὐτέῳ αἷμα. καὶ ταῦτα ποιήσει σοι πάντα πᾶσαν ἡμέρην καὶ νύκτα, καὶ χειμῶνος καὶ θέρεος, μέχρις ἂν δυνατὸς ᾖ τὸ πνεῦμα ἕλκειν εἰς ἑωυτὸν, καὶ πάλιν μεθιέναι; δυνατὸς δὲ ἔσται, ἐς ἂν τινος τουτέων στερηθῇ τῶν ξυγγεγονότων. ξυγγέγονε δὲ ταῦτα τὰ εἰρημένα. πῶς γὰρ οὐ ξυγγέγονε; πρῶτον μὲν φανερὸν ἐστὶν ὁ ἄνθρωπος ἔχων ἐν ἑωυτῷ ταῦτα πάντα ἀεὶ, ἕως ἂν ζῇ. ἔπειτα γέγονεν ἐξ ἀνθρώπου ταῦτα πάντα ἔχοντος. ἔπειτα τέθραπται ἐν ἀνθρώπῳ, ταῦτα πάντα ἔχοντι, ὁκόσα ἔγωγε νῦν φημί τε, καὶ ἀποδείκνυμι.

Textvs XXVIII.

Οἱ

Οἱ δὲ λέγοντες ὡς ἓν ἐστὶν ἄνθρωπος, δοκέουσί μοι ταύτῃ τῇ γνώμῃ κεχρῆσθαι. ὁρέοντες τοὺς πίνοντας τὰ φάρμακα, καὶ ἀπολλυμένους ἐν τῇσιν ὑπερκαθάρσεσι, τοὺς μὲν χολὴν ἐμέοντας, τοὺς δέ τινας φλέγμα, τοῦτο ἕκαστον αὐτέων ἐνόμισαν εἶναι τὸν ἄνθρωπον, ὅ, τι καθαιρόμενον εἶδον αὐτὸν ἀποθανόντα. καὶ οἱ τὸ αἷμα φάντες εἶναι τὸν ἄνθρωπον, τῇ αὐτέῃ γνώμῃ χρέονται. ὁρέοντες ἀποσφαζομένους τοὺς ἀνθρώπους, καὶ τὸ αἷμα ῥέον ἐκ τοῦ σώματος, τοῦτο νομίζουσιν εἶναι τὴν ψυχὴν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. καὶ μαρτυρίοισι τουτέοισι πάντες χρέονται ἐν τοῖσι λόγοισι.

Γνοίης δ' ἂν τοῖς δὲ ὅτι οὐχ ἓν) Duo dicebant antiqui, Primo, vnum esse & simplex corpus puta Elementum aut humorem vnum ex quo solo componitur homo. II. Ex eo concludebant, quia totum suum esse ab vno simplici obtinet homo humore, reliquos in eo non reperiri. Idcirco dicebat supra autor, si homo vnum duntaxat esset, non doleret, quòd præter vnum illud nihil cõtineat, aut si doleret, vno solum modo doleret, imò formam cōmutare non posset. Vtrumq; refutat hoc denuo in loco autor, cùm ex eo quòd è

vulneribus mox emanat, tùm ex ijs quæ per pharmaca educuntur: Inquit ergo: Quòd hæc quæ recensuimus vnum omnia non sint, sed vnumquodque ipsorum determinatæ speciei, quemadmodum paulò ante ostendimus, existat, & peculiarem ac propriam sibi obtineat facultatem, probat tùm venæ sectio & membri vulneratio, per quam emanare conspicitur solus (quod enim de purgantibus expressit, nempè quodlibet purgans per se peculiarem, non communiter omnem sua vi attrahere & purgare humorem, subintellexisse ipsum illud idem de sanguinis euacuatione loquentem verisimile est. Et quamuis interdum bilis excrementitiæ quippiam simul effluat, tamen per accidens id fit, non quòd sanguini eam mixtam esse oporteret, nutrire enim nequit, sed quòd pro meliore sanguinis distributione assumptum eius aliquid in vasa sit; præterea non quibuscunque

parti-

partibus contusis id contingit, neq; .n. in sanis vbi lien & folliculus fellis, suum faciunt officiũ, per totum corpus vel bilis flaua excrementitia 4. de partib. animal. 2. 5. de vsu part. 4. 2. de Naturalibus faculta. 2. vel bilis nigra 2. ad Glauconem 10. distribuuntur) sanguis, in quo tamen semper varietas magna est partium, quæ non aliunde nisi à propria eius natura, quæ varijs istis partibus constituitur, proficiscitur, minimè à permixtis & confusis excrementitijs humoribus; Tùm pharmacorum exhibitorum ad intra corpus effectus. Ea enim, quia non generant in corpore specie diuersos humores, vt putabat Asclepides (Sic enim vnum medicamentum, vnum duntaxat educeret perpetuò etiam in superpurgationibus humorem, amplius enim quàm vnum generare nequit; id quod tamen falsum, quemadmodum etiam docet Galenus 2. de Elem, cap. 4.) Sed inexistentes quales insunt educunt fa-

miliaritate substantiæ. Idcirco quoniam quodlibet quemlibet non extrahit humorem, sed certum sit & specie diuersum à cholagogo, quod pituitam trahit phlegmagogũ, peculiare quod Melancholiam &c. Manifestum est non modo plures in homine inesse humores, sed specie quoque eosdem differre. Inquies, inesse plures specie etiam differentes humores in homine concedi posset, neq; tamen ex eo firmiter satis colligitur, eundem hominem ex pluribus quoq; specie diuersis humoribus internè componi, id quod tamen per assignatas rationes conatur probare Hippocrates; verissimum autem, sanguinem solum nutrire, & consequenter etiam solũ componere hominem. Forte hæc ratio mouit Galenum, vt diceret ceu in commento videre est, non facile euerti posse ipsorum opinionem, qui dicunt hominem esse vnum sanguinem. Responderi verò debet, primum Hippocratis argu-

men-

mentum,quod ex venæ ſectione deſumitur, non modo ineſſe,ſed componere etiã ac nutrire quatuor illos diuerſos humores, id eſt, partes in ſanguine, firmiter probare. Sanguis enim ſolus nutrit, ergo & ſolus componit,atqui ex quatuor diuerſis partib⁹ is conſtat. Ergo quatuor hæ partes humidæ,quas ſanguinem, pituitam, bilem nigram & bilem flauam vocari diximus, pariter componunt hominem. Quid autem de pharmacis purgantibus, quibus excrementitios humores, qui tamen nutrire nequeunt, conſequenter nec componere, minimè ſanguinem eiusue partes, lib. de purg. medic. facult. 4. (etſi enim ſint quæ ſolum ſanguinem trahant; tamen venena, quæ exhibere corpori humano nemo ſanæ mentis audet, exiſtunt) expurgari certiſſimum eſt, dicendum? An ſanguinis partes vbi naturaliter habẽt pharmacis per ſe non educuntur. Vbi verò per diminutam concoctionem aut depra-
uatam

uatam digeſtionem corrumpuntur & in excrementitios aut præter naturales degenerarunt, queunt imò debent medicamentis purgantibus educi & diuerſis quidem, quandoquidem in diuerſos corrumpantur humores? Ex quo iterum conſequitur, ſanguinem alentem hominem vniforme corpus non eſſe, ſed ex ſpecie diuerſis partibus (has enim quia continet, propterea in diuerſos ſpecie excrementitios & præter naturam humores abit) conſtare; & proinde probat idem hoc argumentum hominem ex quatuor humidis diuerſis ſubſtantijs nutriri & componi. Inquies: Perpetuum autem non eſt, vt vitiatæ ſint prædictæ ſanguinis partes, imò per accidens ac præter naturam eas vitiatas continet homo. Contra verò inquit autor: Quouis anni dieiue tempore, quacunq; ætate quoque, homini ineſſe diuerſos illos humores, qui à diuerſis medicamentis exhibitis per familiaritatem ſubſtan-

tiæ

tiæ extrahuntur. Dictum ſupra eſt partes diſtinctas ſpecie in ſanguine ſimilitudinem habere imò conuenire quodammodo cum excrementitijs humoribus, ſecundum naturam, dum generatur ſanguis in Epate, & neceſſario; per accidens tamen, collectis, ac proinde horum etiam nominibus ipſas vocari. Quemadmodum enim bilis flaua, quæ in folliculo felleo continetur tenuis, calida, ſicca & flaua exiſtit; Nigra quæ in liene ſubſiſtit, craſſa, frigida, ſicca, nigra: Ita pars eſt in ſanguine qualitatibus primis ac ſecundis, nec non colore, ſimilis bili flauæ, alia rurſus ſimilis bili nigræ; differunt tamen in eo, quòd illas obtineant ſanguinis naturæ ſecundum temperiem & mediocritatem, excrementitij vero humores in exceſſu, quapropter etiam gratum illæ ſunt naturæ humanæ alimentum, hi vero excrementum, quod in naturam corporis ſuſcipi nequit. Præterea dictum etiam à nobis eſt,

ſan-

sanguinem propter partium suarum dissimilitudinem, posse in varias excrementitiorum humorum species desinere ac corrumpi. Deniq; certissimũ est excrementitios humores necessario generari, quã sanguis generatur, & varios quidẽ, quia sanguinis partes specie inter se differunt, ad quarum similitudinẽ reliqui generantur. Quod si ergo ostenderimus, excrementitios humores semper inexistentes specie diuersos esse, demonstrauimus quoq; partes sanguinis vnum omnes non esse, sed quamlibet propriam habere formam, naturam ac vim, Fieri enim de similibus idem solet iudicium. Nec obstat quod excrementitij excedant in qualitatibus, non autem sanguinis partes. (Hinc enim forte quispiam suspicaretur esse, quod illi specie differant non hæ.) Nam & Elementa quocunq; modo cõsiderent, siue vt partes sunt vniuersi vbi qualitates in excessu obtinent, siue vt in mixto insunt vbi

con-

contemperatas qualitates habēt, semper tamen inter se specie differunt, & quodlibet ipsorū propriam naturam ac vim possidet. Propter horum etiam in partib⁹ sanguinis diuersum prædominiū fit, vt hę ab inuicē, quemadmodum & excrementitij humores, quorū tamen formæ ab istarum speciebus distinctæ sunt (quod de Elementis non contingere quis obijcere posset, sed frustra. Nam vt partes sunt vniuersi, integras, vt in mixto, refractas habent formas, consequenter non omnino easdem, imo quâ tales non possunt esse vniuersi partes, quâ vero sunt vniuersi partes non possunt refractas habere formas: quo concesso etiam in humoribus, ad id necessario consequeretur tamen humores excrementitios eosdem non esse cum partibus sanguinis, & proinde nec idem cum his præstare posse; adeoq; separari à sanguine, non quia copia sed qualitatibus peccant. Sed forte in Elementis ista

refra-

refractio subsistit cum eadem specie, in mixtorum perfectiorū formis id non contingit) specie differant. Quum igitur Cholagogum quolibet tempore anni ex cuiuscunque ætatis homine bilem flauam excrementitiā, phlegmagogum pituitam, melanagogum bilem nigram educat (ex quo colligitur humores hos, quia à diuersis non iisdem educuntur, diuersarum esse naturarum & virium) rectè concludere cum autore possumus, etiam partes sanguinis, excrementitijs humoribus similes, diuersarum esse partium: atq; hæc est mens Hippocratis in hoc textu. Imò, cum excrementitij semper insint, etiam suis illis partibus sanguis ne minimo tempore carere potest, propterea enim colliguntur excrementitij, quia sanguis generatur, & huius partes cum illis similitudinem habent: quasi nisi adessent hæ in sanguine partes propter alimentorum partes diuersas, etiam excrementitij tot & tales

& tales non generarentur. Quod si aliquando propter crassitiem humorum aut locorum per quæ transeunt obstructionem, aut anni tempus, contingat, vt, exempli gratia, phlegmagogũ non educat pituitã, nec cholagogum bilem, tamen rarò id fit, nec est trahendum in regulam. Secundum naturam enim est & ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ contingit, vt quodlibet medicamentum purgans sibi familiarem educat humorem, quocunq; anni, diei & ætatis tempore. Quia tamen propter anni tempora incrementum & decrementum suscipere humores possunt, fit vt in maiore copia tempore hyemis pituita per phlegmagogum, quàm tempore ęstatis, extrahatur; per cholagogum tempore æstatis plus bilis flauæ quàm in hyeme, & sic de cæteris. Inquies: Debuisset autem significare autor, quòd in eodem semper sensu non assumat bilem alterutram aut pituitam, sed aliquando pro excrementitijs hu-

moribus vt hoc loco, aliquando pro partibus ſanguinis alimentalibus vt ſupra. An breuitati ſtudens relinquebat aliquid lectoris iudicio & induſtriæ? An poſt tex. 32. id manifeſtauit? dum, probare volens humores quatenus Elementa ſunt internè hominis naturam conſtituentia pro ratione temporum anni nunc incrementum nunc decrementum ſuſcipere, id docet ex copia ſputi & mucoris pituitoſi, quæ corporis humani conſtitutionem non ingredi omnes norunt. Similiter autem loquitur de cæteris etiam humoribus. Sed vt ad propoſitum reuertar, Si viuere homo per inſpirationem aëremq; attrahere, & fuligines per exſpirationem eijcere (viuit enim inſpirando & exſpirando) debet, oportet omnes hos humores ei ineſſe, puta ſanguinem, cuius natura conſiſtit in commixtione quatuor ſpecie diuerſarum partium, & excrementitios humores alios. Vno enim iſtorum ſi fue-

rit priuatus, vel quia prorſus non adſit, vel quia plane præternaturalis & venenum factum ſit, moriatur neceſſe habet. Neq; mirum cum congeniti ſint, h. e. à natura perpetuò exigantur ad alendum corpus tùm per ſe, tùm per accidens. Per ſe ceu ſanguis cum ſuis partibus: Per accidens ceu reliqui humores excrementitij. Ex chylo namq; ſanguis non generaretur, niſi ſimul excrementitij iſti humores producerentur, qui inſuper àd alios vſus in homine maximè ſunt neceſſarij. Hinc quod cõgeniti ſunt, eſt, quòd reperiantur in homine quoad vixerit, quòd inſint non vni ſed omnibus indiuiduis, tam in nato quã in genitoribus, nempe & patre qui præcipua generationis cauſa, & matre in qua etiam adoleſcit infans ac nutritur, per ſanguinem quidem in vtero, extra vterum verò per lac, quod ipſum quoq; ſanguis eſt.

TEXTVS XXIX.

Καί τοι πρῶτον μὲν ἐν τῇσιν ὑπερκαθάρσεσιν ὐδεὶς πω ἀπέθανε χολὴν μόνον καθαρθεὶς. ἀλλ' ὁκόταν τὶς πίῃ φάρμακον, ὅ τι χολὴν ἀγεῖ, πρῶτον μὲν χολὴν ἐμέσει. ἔπειτα δὲ ἐπὶ τῇ χολῇ, ἐμέουσι χολὴν μέλαιναν ἀναγκαζόμενοι. τελευτῶντες δὲ καὶ αἷμα ἐμέουσι καθαρόν.

Textvs XXX.

Τὰ αὐτα δὲ πάσχουσιν καὶ ὑπὸ τῶν φαρμάκων τῶν τὸ φλέγμα ἀγόντων. πρῶτον μὲν γὰρ φλέγμα ἐμέουσιν. ἔπειτα χολὴν ξανθὴν, ἔπειτα μέλαιναν, τελευτῶντες δὲ αἷμα καθαρὸν καὶ ἐν τῷδε ἀποθνήσκουσιν.

Textvs XXXI.

Τὸ γὰρ φάρμακον ὁκόταν ἐσελθῃ ἐς τὸ σῶμα, πρῶτον μὲν ἄγει ὃ ἂν αὐτέω κατὰ φύσιν μάλιστα ᾖ, τῶν ἐν τῷ σώματι ἐνεόντων. ἔπειτα δὲ καὶ τ' ἄλλα ἕλκει τε καὶ καθαίρει. ὥσπερ τὰ φυόμενά τε καὶ σπειρόμενα, ὁκόταν εἰς τὴν γῆν ἔλθῃ, ἕλκει ἕκαστον τὸ κατα φύσιν ἑωυτῷ ἐνεὸν ἐν τῇ γῇ. ἐνὶ δὲ καὶ ὀξὺ καὶ πικρὸν, καὶ γλυκὺ, καὶ ἁλμυρὸν, καὶ παντοῖον. πρῶτον μὲν οὖν πλεῖστον τουτέου εἵλκυσεν εἰς ἑωυτὸ, ὅ, τι ἂν ᾖ ἑωυτέω κατα φύσιν. ἔπειτα δὲ ἕλκει καὶ τ' ἄλλα. τοιοῦτον δὲ τι καὶ τα φάρμακα ποιέει ἐν τῷ σώματι, ὁκόσα ἂν χολὴν ἄγῃ. πρῶτον ἀκρητεστάτην ἐκάθηρε χολὴν. ἔπειτα δὲ μεμιγμένην. καὶ πάλιν τα τοῦ φλέγματος φάρμακα, πρῶτον μὲν ἀκρητέστατον το φλεγμα ἄγει. ἔπειτα δὲ μεμιγμένον. καὶ τοῖσιν ἀποσφαζομένοισιν

μένοισιν πρῶτον μὲν τὸ αἷμα ῥέει θερμότατόν τε καὶ ἐρυθρότατον, ἔπειτα δὲ ῥέει φλεγματωδέστερον καὶ χολωδέστερον.

Ne quiſpiam àrbitraretur antiquis Medicis affingi potius iſtas opiniones quàm quod re vera eas protulerint, cum ex præcedentibus conſtet ipſas abſurdiſſimas & ab omni ratione alienas eſſe: oſtendere conatur his in verbis autor rationes, quibus moti dixerint, hic quidem ſanguinem vnum & ſimplicem eſſe hominem, alius pituitam duntaxat &c. Quamuis enim nobis hæc dogmata abſurda videantur, illis tamen veriſimilia, referente Galeno, ſunt viſa. Dicebant ergo: Id congenitum materiale & ſolum principium eſt hominis, quo poſito ponitur, ablato aufertur homo, propoſitio omnibus confeſſa: Atqui ad expurgationem vnius tantum humoris copioſam, conſequitur mors in homine &c. Quibus enim medicamentum exhibitum fuit in maiore quantitate & doſi,

dosi, adeo vt superpurgarit, eos bile flaua copiosissimè effluente interijsse vidimus inquiunt nonnulli; alij idem euenisse bile nigra egrediente; alij pituita effluente, affirmant. Ergo vnus tantum humor vel bilis flaua sola, erit congenitum & materiale principium, aut pituita duntaxat, vel Melancholia tantum, Non autem plures humores, quandoquidem ad vnius duntaxat, excretionem superfluam consequatur mors in corpore humano. Sic argumentabantur qui vel bilem alterutram solam, vel pituitam puram dicebant esse hominem. Sed eidem fundamento innituntur etiam illi qui sanguinem vnum aiunt esse hominem, nempe: Id congenitum materiale & solum existit principium hominis, quo posito ponitur, ablato aufertur homo: Atqui immodicè effluente sanguine perit homo, vt conspicitur in iugulatis & vulneratis sæpissimè. Ergò sanguis solus & vnus erit vitæ huma-

humanæ principium, ex quo naturam ſuam homo obtinet: imò forma & anima ipſa, quandoquidem totum homini eſſe tribuat & præter eum nihil ſit in corpore, hominem componens aut ſuſtentans. Huic inſtantiæ ſatisfacit autor reſpondendo ad minorem quæ falſa eſt. Non enim moritur in ſuperpurgationibus homo, quod vnicus duntaxat effluat humor, ſiue hunc bilem flauam, ſiue atram, ſiue pituitam dixeris; ſed quia natura reliquis etiam priuatur congenitis ſuccis. Etſi enim medicamentum purgans ex ſe non trahat niſi familiarem ſibi humorem & vnum, tamē vbi fortius fuerit quàm fert natura hominis, hanc ita exagitat & irritat ad expulſionem, vt emiſſo etiam moleſtante humore & vitioſo, non tamen ceſſet reliquos quoq; dimittere, cum continere illos nequeat. At cur non retinet? quia à medicamentorum mordacitate & acrimonia inſigni, reſidente in ſubſtantia delete-

ria continuo vellicatur, vaſorumque orificia à calore, quo omnia purgantia ſunt prædita, nimium aperiuntur, adeoque virtus retentrix redditur imbecillis, quemadmodum docet etiam Galen. 4. de ſimpl. medic. facult. ὑπερκαθάρσεις fieri. Sed quomodo inquies compoſitum ex rhabarb. Agarici an. ʒ. 1. ſenæ ʒ. ij omnes expurgat humores, cum ingredientis nullius quantitas ſit integra, adeoq; per ſe nullum ſufficiat irritare naturam, vel trahere ſuccum familiarē? Non quod inſit in purgantibus vis quædam communis, reſpiciens omnes humores, ſed quia ingredientia ſeorſim quodlibet ad peculiarem & proinde vnitim ad omnes ſunt directa, & licet quodlibet ſeorſim nequeat irritare naturam ob doſin minorem, tamen vnitim poſſunt omnia quia doſin iuſtam ſic habent. Natura igitur irritata poſtea pro ratione proprietatis & facultatis medicamenti, quod compoſito ineſt non v-
num

num ſed varios quoque humores emittit & expellit. Et quamuis textu 30. autor dicat non familiarem duntaxat, verum & reliquos humores medicamentum purgans trahere & purgare, (vtitur enim vocabulo ἕλκειν καὶ καθαίρειν) quaſi prȩter propriam, etiam communis facultas attrahendi omnes humores purgantibus ineſſet: tamen abutitur iſtis vocibus, & de tractione accidentaria, non quæ per ſe fit à virtute pharmaci, ſed per accidens, propter debilitatam vim retentricem partium, conſequentem ad irritationem vehementiorem naturæ à medicamento, loquitur, quam ob cauſam inquit 28. text. ἔπειτα δ᾽ ἐπὶ τῇ χολῇ ἐμοῦσι χολὴν μέλαιναν ἀναγκαζόμενοι. Cæterum ex dictis manifeſtum eſt, nequaquam, vt vult Auerröes 7. coll. cap. 9. bilem primo in omni purgatione educi flauam; quia is primo extrahitur humor, qui medicamento ſecundum naturam familiaris fuerit, cui propter tenuitatem

 non-

nonnunquam commixta conſpicitur bilis flaua ſed per accidens, poſt tenuior ſuccedit, ſequitur humidior & fluidior, tandem craſſior ſuccus. Exempli gratia, ſi bilis flaua à cholagogo primò extracta fuerit, natura poſt exoluta propter nimiam irritationem dimittit pituitam, deniq; melancholiam. Si melancholia per Melanagogum prius educta ſit, ſequitur bilis flaua, poſt pituita. Si in principio pituita per phlegmagogum, deinde educetur bilis flaua, tandem Melancholia, quæ omnia ita ordine autòr non recenſet, quod ex vno facilè intelligi poterant reliqua, ipſe autem breuitati ſtuderet. Dices nunquid non fluidior & tenuior eſt ſanguis, quàm pituita aut Melancholia, cur ergo præ his non effluit: ſed poſt hæc & vltimo? quia vitæ theſaurus eſt & principium conſeruans, ſuſtentans, ac alens corpus, igitur firmius à natura retinetur & cuſtoditur quàm reliqui ſucci, qui non ad alen-

dum,

dum, ſed alios quoſdam vſus homini neceſſarij erant. Quod porro ita ſe inuicem conſequantur humores in ſuperpurgationibus, à ſimili probat Hippocrates, ſupponens in terra reperiri omnis generis ſuccos, acidos, dulces, ſalſos, amaros & huiuſmodi alios. Quia .n. quodlibet ſuæ naturæ ſimili nutritur ſucco; plantarum autem & eorum quæ ex terra naſcuntur non eadem ſit omnium ratio (aliqua enim amara ſunt, acida nonnulla, dulcia alia, alia ſalſedinem continent) omnia autem ex terra aluntur, ex hac quoq; attrahant, quodlibet quod ſibi maxime ſecundum naturam eſt, & in terra ineſt, neceſſe eſt: quemadmodũ perpulchrè declaratur etiam ab Hip. in initio lib. 4. de morbis. Cæterũ inquit autor quia tàm medicamenta quàm plantæ trahunt propter familiaritatem ſubſtantiæ, idcircò non iniuria quod in his accidit euenire quoq; in pharmacis dicimus. De ſimilibus quippe idem

iudici-

iudicium. Plantarum verò siue perpetuæ sint h. e. sponte singulis annis suæ renascantur, siue per continentem sationem conseruentur (illas autor φυόμενα, has σπειρόμενα vocat) vbi radices egerint, quælibet certè id attrahit ex terra succi, quod naturę suæ familiare existit; & si huius succi sat non inuenerit, vel quòd non contineatur amplius, vel quòd alijs humiditatibus nimium sit commixtus, tamen primo eum tantum vel plurimum saltem eius attrahit succi in se, qui sibi iuxta naturā maximè fuerit familiaris, deinde quia nutrimento adhuc indiget & proinde trahere non desinit etiam eos qui cum priore sunt cōmixti, aut priorem ob fluxibilitatem substantiæ facilè apteq; consequuntur. Quapropter simile quoq; continget in purgantibus medicamentis, dum ex corpore humano vitiosos & molestantes succos educunt sed fortius quàm par est. Primò enim succum sibi familiarem

quodlibet, eumq; puriſſimũ & copioſiſſimum educet, poſtea vbi perrexerit trahere, naturamq; irritare ſua acrimonia, neq; tamen amplius offendat ſibi familiarem humorem, aut ſi offenderit non tamen purum ſed alijs commixtũ, tum vna cum hoc etiam alios, præſertim verò tenuiores & fluidiores purgabit, imò tandem vehementius incitata natura, vt quæ eius vim coërcere non poſſit, etiam compellet retentricem, vt craſſum quoq; ac melancholicum ſuccum, & vltimò ſanguinem ipſum theſaurum vitæ dimittat atq; reddat, ad cuius euacuationem moritur homo. Idem de ſanguine contingit, qui per vulnera & venæ ſectionem nimium effunditur. In principio enim calidiſſimus & ruberrimus effluit, id eſt ſinceriſſimus, tandem vbi excrementa quoq; ſanguinis in vaſa è proprijs locis penetrant, per vulnus exire conſpicitur non purus amplius, ſed mixtus, adeoq; nunc pituitoſior, nunc bilioſior.

TEXTVS XXXII.

Αὔξεται δὲ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, τὸ μὲν φλέγμα χειμῶνος· τοῦτο γὰρ τῷ χειμῶνι κατὰ φύσιν μάλιστα τῶν ἐν τῷ σώματι ἐνεόντων. ψυχρότατον γάρ ἐστι. τεκμήρια δὲ τουτέων ὅτι τὸ μὲν φλέγμα ψυχρότατον. εἰ ἐθέλεις ψαῦσαι φλέγματος καὶ χολῆς καὶ αἵματος, τὸ φλέγμα εὑρήσεις ψυχρότατον ἐόν. καὶ τοι γλισχρότατόν ἐστι· καὶ βίῃ μάλιστα ἄγεται μετὰ χολὴν μέλαιναν. ὁκόσα δὲ βίῃ ἔρχεται, θερμότερα γίνεται, ἀναγκαζόμενα ὑπὸ τῆς βίης. ἀλλ' ὅμως καὶ πρὸς πάντα ταῦτα ψυχρότατον ἐὸν τὸ φλέγμα φαίνεται ὑπὸ τῆς φύσιος τῆς ἑωυτοῦ. ὅτι δὲ ὁ χειμὼν πληροῖ τὸ σῶμα φλέγματος. γνοίης ἂν τοῖσδε. οἱ ἄνθρωποι πτύουσί τε καὶ ἀπομύσσονται φλεγματωδέστατον τοῦ χειμῶνος, καὶ τὰ οἰδήματα λευκότατα γίνεται μάλιστα ταύτην τὴν ὥρην, καὶ τ' ἄλλα νοσήματα φλεγματώδεα.

Αὔξεται δὲ ἐν τῷ &c.) Abſoluto priore eorum, quæ autor præſtare ſupra textu 9. pollicitus erat, nunc ad poſterius ſe confert & oſtendit, cur alijs anni temporibus alij humores incrementum & decrementum ſuſcipiant, nec eodem modo quouis anni tempore habeant. Initium autem ſumit à pituita & hyeme, non quod hoc tempus, anni principium ſit (tribuitur enim

enim hoc veri) nec quod pituita præ-ſtaret reliquis humoribus (conuenit enim hoc ſanguini rectius) ſed quòd phlegma primùm ex humoribus generetur, ſiue excrementitium intelligamus in ventriculo & inteſtinis, ſiue imperfectum ſanguinem & crudum ſuccum: Præterea etiam quòd pituitæ generationis indicia magis erant euidentia quàm cæterorum humorum. Magis enim omnibus conſpicuum eſt, pituitam tempore hyemis, cum in hyeme omnes copiosè expuant & frequentiſſimè nares emungant, augeri; minus cæteros humores reliquis temporibus anni. Nec enim omnes dyſenterias patiuntur, aut fluxus ſanguinis è naribus, nec colorem eundem omnes, aut qualitatem ad tactum obtinent. Huc porro pertinet id quod ſupra etiam monuimus, nempe ex ſimilitudine humorum excrementitiorum naturalium oportere nos cum autore colligere, quòd quando hi in anno incremen-

crementum vel decrementum ſuſcipiunt, tum etiam partes ſanguinis augeantur aut decreſcant. Cæterum ex eo quod ſimilia à ſimilibus foueri augeriq;,à contrarijs verò corrumpi conſtat, quemadmodum 1. de ortu 30. 5. Metaphyſ.27. annotatum legimus, argumentatur autor, tum quemlibet humorem in corpore augeri, cum tempus anni computatum ex acceſſu & receſſu ſolis ad puncta quatuor cardinalia, nec non ortu & occaſu ſiderum præſertim Pleiadum & Arcturi, quod tamen per motum illum ſolis, nunc huius nunc illius Elementi vires intendentis fouentisq;, certas ac proprias qualitates obtinet, habuerit ſimile in temperie & cognatum; imminui verò ſi diſſimile; id quod eo magis continget, quando ætas, regio, vitæ genus & victus ratio, cum anni tempore conueniunt. Quia vero hyems in qualitatibus, quas, vbi ſecundum naturam habet, obtinet, frigiditate nempe & humidi-

miditate (textu hoc & sequente 36.) simillima est pituitæ naturali, quæ etiam ipsa humida & frigida existit, & hæc vicissim hyemi maximè secundum naturam conuenit, ex omnibus in corpore existentibus humiditatibus, consequens est hyeme pituitam cum in mole tum in facultate incrementum præ alijs humoribus quoq; suscipere. Et quia humidiorem reliquis succis esse pituitam nemo dubitat, frigidissimam verò esse non satis constat, cum & bilis atra frigiditate excellat, probat Hippocrates in frigiditate alijs humoribus pituitam præstare: Primum ex attactu tum manus, quando extra corpus expulsa est pituita; persentitur enim in sanguine & bile flaua caliditas maior, in nigra bile siccitas potius quàm frigiditas afficit, & proinde etiam in hac frigiditas non ita manifestè percipitur ac in pituita; tum corporis partium, per quas mouetur aut in quibus detinetur, persentitur

enim & in his eius frigiditas, quamobrem qui catharrosa capita habent, de occipitij frigore conqueruntur. Secundo, ex eo quod licet calefiat motu (non calore partium quemadmodum alijs videtur) dum vi quasi (est enim propter tenacitatem & viscositatem post atram bilem ad educendum ineptissima) agitatur aut extra corpus extrahitur (motus enim vehementia res calefieri vel terebra in lignum per motum immissa docere potest) tamen aliorum humorum calorem (si etiam ipsi calidiores redditi fuerint) non adæquet, sed præ alijs congenitam suam frigiditatem conspicuam habeat atq; retineat. Et de sanguine ac bile res per se est manifesta, cur autem pituita non obtunderet calorem magis sua humiditate quàm nigra bilis quæ sicca est? Pituitam porro augeri hyeme, autor ostendit ex indicijs pituitæ præsentiam attestantibus, nempè ex excrementis pituitosis, præsertim ijs, quæ per os & na-

& nares exeunt, Hæc enim magis qualitate, colore, & consistentia pituitam referunt, quàm vel aurium sordes vel oculorum, quæ præterea etiam paucæ sunt: Item ex Morbis è pituita natis vt tumoribus ædematosis albis, laxis, & alijs quos 3. Aphoris. aph. 23. enumerat. Hæc enim omnia, puta tùm morbi dicti, tum muci & sputi copia, quantumuis alijs etiam anni temporibus conspici possunt, tamen κατα ταυτὴν τὴν ὥρην μάλιστα γίνονται. Sed dices; Cuperem intelligere anne etiam hyeme pars illa sanguinis quæ pituitam refert in maiore, quàm reliquæ, copia colligatur & qua de causa: Item nunquid vere sanguinem, æstate bilem flauam, autumno bilem nigram referentes? Quid ni? Hyeme enim calor natiuus coactus ab externo frigore fortior existit, ideoq; plus alimenti absumit, plus etiam sanguinis producit: Sed in plurimo sanguine non potest nisi copiosas eas producere partes, quæ ad medio-

etium naturam propius accedere vi-dentur & pituitam referunt:(in pluri-bus enim etiam optimum artificem a-liqua optimè confecisse, reliqua ad optimarum conditionem proximam deduxisse sat est) quæ etiam feruenti-oris interni caloris vim, ne intendatur nimium, remittere, vt totius corporis ἐυκρασία conseruetur, possunt ac debent. Porrò veris tempore quia remittere incipit de sua vehementia calor, & ad mediocritatem transire, idcirco nec copiosissimum, sed in quantitate me-diocrem conficit sanguinem, atque in eo partes quoq; mediocres plures, tùm quòd ipse moderatus sit, tùm quòd minor copia alimenti adsit. Aestate verò calor externus vehemens est, ideoq; internum resoluere aptissimus; qua-propter per ipsum hic fit imbecillior, vt proinde circa tenuiores partes ali-menti plus occupetur. Vnde & tenuio-rum, calidarum siccarumq; partium plures producit, quæ forte etiam in-
terni

terni caloris, vt qui ab externo continuo dissoluitur, crasin adeoq, totius corporis εὐκρασίαν suo conseruare calore debebant. In autumno deniq; quia natiuus calor iterum ab ambientis frigore cogi incipit, & vires maiores recipere, idcirco ad crassiores rursus alimenti partes digerendas transit; quia verò siccior adhuc est, neq; adhuc sufficiens omnino, etiam crassiores sicciores frigidioresq; partes plures, mediocriũ verò pauciores in sanguine producit.

Textvs XXXIII.

Τοῦ δὲ ἦρος, τὸ φλέγμα ἔστι μὲν ἰσχυρότερον ἐν τῷ σώματι, καὶ τὸ αἷμα αὔξεται. τά τε γὰρ ψύχεα ἐξανίει, καὶ τὰ ὕδατα ἐπιγίνεται. τὸ δὲ αἷμα κατὰ ταῦτα αὔξεται, ὑπό τε τῶν ὄμβρων, καὶ τῶν θερμημεριῶν. κατὰ φύσιν γὰρ αὐτέων ταῦτα ἐστὶ μάλιστα τοῦ ἐνιαυτοῦ. ὑγρόν τε γάρ ἐστι, καὶ θερμόν. γνοίης δ᾽ ἂν τοῖσδε. οἱ ἄνθρωποι τοῦ ἦρος, καὶ τοῦ θέρεος μάλιστα ὑπό τε τῶν δυσεντεριῶν ἁλίσκονται, καὶ ἐκ τῶν ῥινέων αἷμα ῥεῖ αὐτέοισι, καὶ θερμότατοι εἰσὶ καὶ ἐρυθροί.

Τοῦ δὲ ἦρος) Ver hyemem, sanguis pituitæ generationem consequitur: re-

ftè igitur nunc autor de ſanguine & vere. Cæterum quia principium ſequentis cum fine præcedentis anni temporis conuenit, meritò Hippocrates ſub initium veris adhuc pituitam copioſam ineſſe ait in corpore, progreſſu verò temporis imminui, augeri autem ſanguinem quandoquidē conſtitutio veris ſanguini maximè ſecundum naturam conueniat. Eſt enim ſanguis ſi conferatur cum alijs humoribus calidus & humidus, quibus etiam ver collatum cum reliquis anni temporibus præditum eſt qualitatibus. Nam in eo frigora remittunt, diesq; ſunt tepidiores: imbres præterea ſuperueniunt, vnde eius colligitur humiditas: neq; verò aër ambiens ſua qualitate humores in corpore producit, ſed calorem natiuum variè mutat, qui mutatus poſtea ſibi & ambienti ſimilia generat. Sanguinis porro in vere copiam atteſtantur cruentæ ſanguineæ, non ſymptomaticæ dyſſenteriæ,

qui-

quibus eo tempore hominum non exigua pars confici solet; item fluores sanguinis copia peccantis, è naribus, color etiam cutis ruber, & ad tactum caliditas ob humorem calidum & rubrum superabundantem & alimenti naturam similem, Sed inquies, quomodo vere plus colligitur sanguinis quàm aliorum humorum? tamen 3. aphor. 20. veris morbi dicuntur esse lepræ, furores, Melancholiæ &c. qui indicant copiam Melancholici succi? An melancholicus hic succus non generatū verno tempore, sed antea genitus, aceruatus & aggregatus, nec expurgatus, post in vere ab ambientis calore attrahitur, vel ad supernas partes, vbi Melancholiam, furores gignit, vel ad cutem in qua lepram producit.

Textvs XXXIIII.

Τοῦ δὲ θέρεος, τὸ, τε αἷμα ἰσχύει ἔτι, καὶ ἡ χολὴ ἀείρεται ἐν τῷ σώματι καὶ παρατείνει ἐς τὸ φθινόπωρον. ἐν δὲ τῷ φθινοπώρῳ, τὸ μὲν αἷμα ὀλίγον γίνεται· ἐναντίον γὰρ αὐτέου τὸ φθινόπωρον τῇ φύσει

 ἐστὶν

ἐστιν. ἡ δὲ χολὴ τὴν θερινὴν κατέχει τὸ σῶμα, καὶ τὸ φθινόπωρον. γνοίης δ' ἂν τοῖσδε. οἱ ἄνθρωποι αὐτόματοι ταύτην τὴν ὥρην χολὴν ἐμέουσι, καὶ ἐν τῇσι φαρμακοποσίῃσι χολωδέστερα καθαίρονται. δῆλον δὲ καὶ τοῖσι πυρετοῖσι, καὶ τοῖσι χρώμασι τῶν ἀνθρώπων. τὸ δὲ φλέγμα τῆς θερινῆς ἀσθενέστατον ἐστιν αὐτὸ ἑωυτοῦ. ἐναντίη γὰρ αὐτέου ἐστὶ τῇ φύσει ἡ ὥρη. ξηρή τε γάρ ἐστι, καὶ θερμή.

Τοῦ δὲ θέρεος) Sanguinis prædominium in principio æstatis adhuc cognoſci innuit autor, poſt verò docet ipſum imminui, augeri verò & efferueſcere, & ſupra alios humores eleuari bilem flauam, dominariq; vſq; in autumnum. Nam bilis flaua temperamento eſt calido & ſicco, cuius conſtitutionis etiam eſt æſtas, quamobrem etiam in hac τὸ φλέγμα ἀσθενέστερον αὐτὸ ἑωυτοῦ ἐστὶ h. e. nõ deficit plane, quandoquidem congenitus humor ſit & neceſſarius ad vitam humanam; ſed languet & in corpore deliteſcit, quòd ab vtraq; ambientis aëris qualitate velut opprimatur. Augeri autem bilem flauam æſtate patet, quia in æſtate vomitus bilioſi frequen-

frequentes ſunt, excrementa etiam bi-
lioſiora per pharmaca è corpore edu-
cuntur, febres magis ſunt tertianæ & bilioſæ, color etiam corporis flauior.

TEXTVS XXXV.

Τὸ δὲ αἷμα τοῦ φθινοπώρου ἐλάχιστον γίνεται ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. ξηρόν τε γάρ ἐστι τὸ φθινόπωρον, καὶ ψύχειν ἤδη ἄρχεται τὸν ἄνθρωπον. ἡ δὲ μέλαινα χολὴ, τοῦ φθινοπώρου πλείστη τε καὶ ἰσχυροτάτη ἐστίν.

TEXTVS XXXVI.

Ὁκόταν δέ ὁ χειμὼν καταλαμβάνῃ, ἥτε χολὴ ψυχομένη, ὀλίγη γίνεται. καὶ τὸ φλέγμα αὔξεται πάλιν, ἀπό τε τῶν ὑετῶν τοῦ πλήθεος, καὶ ὑπὸ τοῦ μήκεος τῶν νυκτῶν.

Τὸ δε αἷμα) Autumnus maiore ex parte frigidus eſt (præſertim enim circa meridiem ſolemus calorem in autumno percipere, matutinum verò & veſpertinum ac nocturnum tempus omne eſt frigidum. Hinc frigidus & calidus Autumnus vocatur. 1. de temper. à Galeno. 3. Aphor. 4. ab Hippocrate,) præterea ſiccus: idcirco hominem refrigarę & exiccare incipit. Qua

 propter

propter autumnali tempore producetur in corpore plurimum eius humoris, qui illi magis secundum naturam conuenit & similis est, nempe bilis nigræ, quæ similiter est frigida & sicca; quod docere possunt morbi autumnales, quos enumerat Hippocrates 3. aphor. 22. Hoc porrò loco breuitati studens autor indicia auctæ bilis nigræ in autumno non recenset, præsertim cum à quolibet, secundum modum, quem in superioribus obseruarat autor, colligi poterant. Cæterum promiserat autor non modo docere incrementa verum etiam decrementa singulorum humorum, huius promissi memor, quia quomodo augeantur satis docuerat, nunc subiungit quomodo ijdem decrescant, de pituita tamen supra dixerat quod paucissima & languidissima esset æstatis tempore, nunc sanguinem inquit paucissimum existere tempore autumni, bilem vero flauam in hyeme refrigeratam imminui.

nui. Quia enim, non quidem amittit ſuum calorem bilis quâ bilis, ſed nec in quantitate nec in qualitate augetur, verum potius minuitur, cum plures humores frigidi, quibus illa pauciſſima commiſcetur, continuò producantur, puta bilis nigra & pituita, quorum frigiditate eius calor obtunditur, hinc ait eam imminui in hyeme perfrigeratam. Quoniam autem ex dictis facile erat conijcere atram bilem oportere in vere pauciſſimam eſſe, nec enim ſupererat aliud anni tempus, breuitatis cauſa hoc aſſcribere omittit Hippocrates & redit à quo digreſſus eſt, nempe ad pituitam & hyemem, oſtenditq; indicia & ſigna certiſſima frigidæ & humidæ conſtitutionis hyemis: ſunt autem duo, nempe noctium longitudo, quæ oritur ex multa diſtantia ſolis à noſtro Zenith: & imbrium copia, quam frigiditati vapores copioſos in aquam condenſanti acceptam ferimus; quæ & ipſa

frigi-

frigiditas ex distantia solis à nostro Zenith procedit. Vnde colligimus minimè aliud Hippocratem hîc ab eo quod supra tex. 32. dixerat proponere. Hîc enim non causam generantem phlegma, quemadmodum textu 32. sed signa eius causæ, nempe similitudinis inter pituitam & hyemem, h. e. frigiditatis & humiditatis refert. Sed inquies, quomodo hyeme plurimum pituitę, & tamen plurimum sanguinis, dicente Hippocrate. 1. Aphor. 11. 12. produci potest? An vbi plus alimenti, ibi copiosum excrementum, hoc autem hyeme est pituita: Summatim hic notari potest quibusdam anni temporibus copiosissimos esse cùm mole, quod vocat Hippocrates πλεῖστον, tùm facultate quod nominat ἰσχυρότατον, humores, vt Hyeme pituitam, vere sanguinē, Aestate bilem, Autumno Melancholiam. Quibusdam paucissimos mole, quod nominat Hippocrates ἐλάχιστον, & facultate, quod vocat, ἀσθενέ-

στάτον vt hyeme bilem flauam, vere Melancholiã, Aestate pituitã, Autumno sanguiné. Quibusdã medio modo habere, sed vel ἰσχύειν, vbi actiuam qualitatem temporis anni conuenientem habent; nempe Hyeme Melancholiam, vere bilem, Aestate sanguinem; Autumno pituitam: Vel ἀσθενέειν vbi qualitate passiua cum temporibus anni conueniunt, vt Hyeme sanguinem, vere pituitã, Aestate Melancholiam, Autumno bilem.

TEXTVS XXXVII.

Ἔχει μὲν οὖν ταῦτα πάντα αἰεὶ τὸ σῶμα τοῦ ἀνθρώπου· ὑπὸ δὲ τῆς περιϊσταμένης ὥρης, ποτὲ μὲν πλείω γίνεται σφῶν αὐτὰ ἑωυτέων, ποτὲ δὲ ἐλάσσω ἕκαστα, κατὰ μέρος, καὶ κατὰ φύσιν.

Ἔχει μὲν οὖν) Epilogus est quo colligit autor tanquam in vnam summam ea quæ hactenus docuit & inquit: Ostensum igitur hæc omnia, puta quatuor partes sanguinis, & excrementitios naturales humores corpus humanum semper habere partim vt princi-

pia

pia intrinsecè constituentia & conseruantia hominis naturam, partim vt necessarios & secundum naturam congenitosq; succos, contra aliorum tùm Philosophorum, tum præcipuè medicorum placitum, quòd homo nempe vnum sit. Præterea quia hominem mutari contingit varijs modis, docuimus id fieri propter immutationem dictorum humorum. Pro ratione enim anni temporum dum secundum naturam habent, modo hic modo alius incrementum suscipit aut decrementum κατὰ μέρος καὶ κατὰ φύσιν, quæ, vt arbitror ego, verba intelligenda sunt secundum pręcedentium verborum sensum, ac si diceret autor; pro ratione temporum singula aliquando augentur minuunturue secundum naturam, vt quando copiosissimi sunt mole & facultate, paucissimiue vi & copia: aliquando augentur minuunturue secundum partem saltem, vt vbi vel incipiunt reuiuiscere καὶ ἰσχύειν, vel debilitari

tari καὶ ἀσθενέειν. Qui aliter verba illa exponunt, nempe augentur minunturq; humores κατὰ μέρος id est, partes corporis, quia hyeme cystis fellis, receptaculum bilis proprium, copiosiorem habet bilem flauam quàm reliquæ partes æstate, quæ bilis receptacula non sunt: ἢ κατὰ φύσιν totius corporis, exempli gratia, bilis æstate in toto corpore copiosior est quàm reliquis anni temporib⁹; quàm recte id faciãt, ipsi viderint, cũ in eadẽ non permaneãt collatione, sed modo partes corporis inuicem, modo totum corpus cum anni temporibus conferant. Præterea antecedentibus non videntur similia dicere. Etenim rectius loquuntur qui dicunt, augentur minuunturue humores secundum partes anni, quia æstate bilis, vere sanguis &c. dominatur, καὶ pro ἐὰν κατὰ φύσιν h. e. dum modo secundum naturam habent, vbi enim non obseruatur naturalis temporum anni constitutio, etiam humorum generatio variat.

variat. Præſertim quando etiam particularium hominum naturæ & temperies ſunt diuerſæ.

Textvs XXXVIII.

Ὥσπερ ὁ ἐνιαυτὸς μετέχει μὲν πᾶς πάντων καὶ τῶν θερμῶν καὶ τῶν ψυχρῶν καὶ τῶν ξηρῶν, καὶ τῶν ὑγρῶν. οὐ γὰρ ἂν μείνειεν, τουτέων οὐδὲν, οὐδένα χρόνον, ἄνευ πάντων τῶν ἐνεόντων ἐν τῷδε τῷ κόσμῳ· ἀλλ᾽ εἰ ἕν τι ἐκλίποι πάντ᾽ ἂν ἀφανισθείη. ἀπὸ γὰρ τῆς αὐτέης ἀνάγκης πάντα ξυνέστηκέ τε, καὶ τρέφεται ὑπ᾽ ἀλλήλων.

Textvs XXXVIIII.

Οὕτω δὲ καὶ εἴ τι ἐκ τοῦ ἀνθρώπου ἐκλίποι τουτέων τῶν ζυγγεγονότων, οὐκ ἂν δύναιτο ζῆν ὁ ἄνθρωπος.

Ὥσπερ γὰρ ὁ ἐνιαυτος) Supperaddit nouam autor ſuæ ſententiæ confirmationem de pluribus hominis principiis, deductam ex ſimilitudine, quæ eſt inter Magnum mundũ & Paruum mundum qui homo dicitur, quandoquidem quę in illo ſunt & fiunt, eorum ſimilia in homine quoq; reperiantur. Inquit ergo: In magno mundo, vel maximè apud inhabitantes noſtrum

clima,

clima, omnis annus particeps eſt calidorũ, frigidorũ, humidorũ & ſiccorũ h. e. ſecundum partes diuerſas in quas per naturam diſtinctus eſt, obtinet diuerſas tempeſtates, in qualibet tamen particeps eſt calidi, frigidi, humidi, ſicci elementarium qualitatum; imò nullum tempus anni datur, in quo vna harũ eſſet ſine altera, vel ea etiam quæ in mundo ſunt compoſita, omnia iſta quatuor Elementa non continerent, quandoquidem, vt ſupra dictum eſt, ex illis cuncta oriantur. Igitur ſi vnum horum Elementorum (non mixtorum, in quibus Elementorum qualitates conſpicuæ ſunt, nec enim horum aliquibus pereuntibus oportet ipſa etiam perire Elementa, vel ijs oppoſita mixta alia, quin potius incolumiora fiunt vt docet Galenus) deficeret, tum omnia, non annus modo ſed & vniuerſum, & alia quæ in vniuerſo ſunt compoſita, adeoq; ipſa etiam reliqua Elementa, & ſummatim totus colla-
 beretur

beretur mundus, qui ex cœlo & quatuor Elementis præſertim conſtat. Quid ita? Ab eadem enim neceſſitate conſtituta ſunt omnia h. e. Sic voluit Deus & natura eſſe, vt nempe conſtaret ſemper ex quatuor Elementis vniuerſum, & ex omnibus illis ſimul iunctis per temperiem & mixtioné, quemadmodum ſupra textu 10. dicebatur, reliqua quæ in vniuerſo ſunt generabilia ac corruptibilia (in quem finem motus etiam in Zodiaco ſolis conſeruatur perpetuo) componerentur, imo & ipſa Elementa vti à nobis vſurpantur (hinc 4. Meteor. in principio reponuntur Elementa excepto igne inter mixta corpora, dicunturq; putreſcere,) quare neceſſario ſic factum eſt. Fruſtra enim Deus & natura nihil agunt, nec operibus ſuis adhibent niſi quæ neceſſaria exiſtunt. Præterea ab ſe mutuo hæc aluntur, namq; ex Elementis interuenientibus alterationibus vegetantia nutriuntur, Elementa
verò

verò ſeipſa in mixtis ſeruant, & extra mixta dum in inuicem transmutantur mutuo ſuſtinēt, ad inſtar alimēti, quo alitum conſeruatur. Quod ſi ergo ſic res habet de Elementis in Magno mundo, cur aliter contingeret de humoribus in paruo mundo. Certè ſi vnus horum, cum congeniti ſint, vt ſupra docuimus, defecerit in ipſo, neceſſario moritur.

Textvs XL.

Ἰσχύει δὲ ἐν τῷ ἐνιαυτῷ τοτὲ μὲν ὁ χειμὼν μάλιστα, τοτὲ δὲ τὸ ἔαρ, τοτὲ δὲ τὸ θέρος, τοτὲ δὲ τὸ φθινόπωρον. οὕτω δὲ καὶ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τοτὲ μὲν τὸ φλέγμα ἰσχύει, τοτὲ δὲ τὸ αἷμα, τοτὲ δὲ ἡ χολὴ, πρῶτον μὲν ἡ ξανθὴ, ἔπειτα δ᾽ ἡ μέλαινα καλεομένη.

Ἰσχύει δὲ ἐν τῷ ἐνιαυτῷ) Quia ſupra non modo quatuor humores ineſſe ſed etiam mutari in homine dixerat, nunc ſimilitudine eadem qua ineſſe humores paulo ante demonſtrarat, etiam mutari eoſdem in homine confirmat inquiens: Licet annus omnibus qualitatibus omni tempore ſit prædi-

tus; tamen alio tempore alia qualitas præ cæteris excellit, nunc frigiditas vnde hyems, nunc humiditas vnde ver, nunc caliditas vnde æſtas, nunc ſiccitas vnde autumnus: Ita quoq; in homine, quantumuis omnes quouis tempore humores habeat, tamen per anni tempora varia (adde & ætates, breuitatis enim cauſa & quia eadem harum ac anni temporum ratio erat, ab autore omittuntur, à Galeno tamen aſſumuntur) nunc hic, nunc alius humor, tum copia, tum facultate pollet, hyeme nempe quæ ſemel in anno occurrit pituita, vere ſanguis, æſtate bilis flaua, autumno Melancholia.

Textvs XLI.

Μαρτύριον δὲ σαφέστερον, εἰ ἐθέλεις τῷ αὐτέῳ ἀνθρώπῳ δοῦναι τὸ αὐτὸ φάρμακον τετράκις τοῦ ἐνιαυτοῦ, ἐμέεται σοι τοῦ μὲν χειμῶνος φλεγματωδέστατα, τοῦ δὲ ἦρος ὑγρότατα, τοῦ δὲ θέρεος χολωδέστατα, τοῦ δὲ φθινοπώρου μελάντατα.

Μαρτύριον δὲ) Probat per ſignum id quod ante dixerat autor, nempe alio tempo-

tempore anni humorem alium præ cæteris excellere; nempe per effectum pharmacorum. Si enim, inquit, idem (h. non vniforme, quale eſt agaricus ſolus, rhabarbarum ſolum, ſed diffor- me, idem tamen compoſitum, ex plu- ribus diuerſis, vt agarico, ſena, rhabar- baro conflatum, vt omnes humores purgandi vim habeat) medicamen- tum exhibueris homini eidem quater in anno, id eſt, omnibus quatuor anni temporibus ſemel, cognoſces hyeme id pituitoſiora educere, propterea quod tum pituita prædominatur: Ve- re humidiora, Quid? nunquid ſanguis quem humidum & vere dominari ſu- pra dixerat, per medicamenta purga- tur? minime. Intelligit enim Ichorem & excrementum humidum ſanguinis, eiuſque vehiculum ſerum, quod & ipſum eſt humidum: æſtate calidiora ac bilioſiora, Autumno ſicciora & ni- griora ac magis Melancholica.

TEXTVS XLII.

Ὀφείλει οὖν τουτέων ὧδε ἐχόντων, ὁκόσα μὲν τῶν νοσημάτων τοῦ χειμῶνος αὔξεται, θέρεος λήγειν. ὁκόσα δὲ θέρεος αὔξεται, χειμῶνος λήγειν. ὁκόσα μὴ αὐτέων, ἐν περιόδῳ ἡμερέων ἀπαλλάσσεται. τὴν δὲ περίοδον αὖθις φράσω, τὴν τῶν ἡμερέων. ὁκόσα δὲ ἦρος γίνεται νοσήματα, προσδέχεσθαι χρὴ φθινοπώρου τὴν ἀπαλλαγήν. ὁκόσα δὲ φθινοπωρινὰ νοσήματα, τουτέων τοῦ ἦρος ἀνάγκη τὴν ἀπάλλαξιν γενέσθαι. ὅτι δ᾽ ἂν τὰς ὥρας ταύτας ὑπερβάλλῃ νόσημα, εἰδέναι χρὴ ὡς ἐνιαύσιον αὐτὸ ἐσόμενον.

Ὀφείλει δὲ τουτέων) Ostendit nunc Hippocrates eorum quæ huc vsq; docuerat vtilitatem, quam duplicem esse asserit. Faciunt enim ad curationem; Et ad prognosin in morbis chronicis. Hunc vsum exponens autor inquit: Qui morbi hyeme augescunt, quoniam ex pituita quæ debilitatur æstate & quasi dissoluitur, sunt, ij in æstate terminantur & desinunt, id quod in febribus cotidianis fieri, sæpissimè compertum est. Qui verò æstate augentur morbi, quoniam ex bile flaua oriuntur, quam ἀσθενεστάτην fieri in hyeme certum est, ij in hyeme soluuntur, ablata

ablata enim causa tollitur effectus istius causæ. ὁκόσα μὴ αὐτέων ἐν περιόδῳ ἡμερέων ἀπαλλάσσεται. Sunt enim ex bile æstatis morbi, adeóq; acuti præsertim. Hic autem humor facilioris est concoctionis, eductionis & resolutionis, quare facilè citoq; resoluitur, & præsertim certo determinatoq; dierum spacio & periodo, die vel quarto, vel septimo, vel vndecimo, decimo quarto, vigesimo, vel ad summum quadragesimo, vltimo acutorum morborum termino. Qui tamen sint dierum circuitus & periodi inquit autor se alibi doctu- rum, puta in lib. prognost. aphoris. Epidemiorum, de diebus decretorijs, de iudicationibus, si modo hi posteriores sunt Hippocratis, quod non placet doctioribus quibusdam. Notandum autem quod sicut perpetuum non est, vt vel hyemem totam hyemis, vel ver integrum veris morbi proprij durent, quandoq; enim, (licet rarius in his hoc accidat quã in ęstiuis, ob quam

causam, etiam restrictionem ad æstiuos potius adiecit autor,) propter materiæ paucitatem bonitatemue, aut ætatem, regionem vel regimen bonum ægrorum, mox soluuntur; ita æstatis etiam proprios morbos licet ex bile sint, acutos tamen non esse semper, ideoque nec cito resolui. Non enim omnis bilis 3. Prognost. 27. semper tota resoluitur, imò relicta crassescit, & à calore exassatur quandoq;, atq; sic morbum facit chronicum. Quod si etiam ea pars bilis quæ morbum facit tota resoluta fuerit, tamen fieri potest, vt noua aliunde, vel ex alio membro vbi detinebatur, vel ex mala victus ratione, in eadem membra deueniat & sic prioris morbi periodum turbet, & ex acuto chronicum faciat, 2. de differ. feb. cap. vltimo. Qui vero morbi vere fiunt, quoniam ex sanguine, qui magnopere minuitur autumnali tempore, ij autumno discedunt. Qui autumnales sunt morbi & ex Melancholia

lia cuius vis & copia in vere quaſi pe-
rit, eorum diſceſſum vere fieri neceſ-
ſe eſt; niſi hæc tempora quoq; morbus
transgrediatur, tum enim, quia non fa-
cilè ſolui eius cauſa poteſt, niſi redeun
te iterum illi contrario anni tempore
annuus erit, id eſt, annum integrum,
aut etiam, quemadmodum 3. Aphor.
28. Hippocrates de puerorum morbis
affirmat, per annos ſeptem, tum enim
ætas mutatur, Mutationes autem æta-
tum & temporum anni plurimum
poſſunt in immutando corpore etiam
humano. 2. Aphor. 45. 3. Aphor. 1. 4. &c.
durabit, ſi modo vis eius frangi poteſt,
quidam enim morbi adeò inimici vi-
tæ ſunt, vt nec ætatum nec temporum
variationibus cedant.

TEXTVS XLIII.

Καὶ τὸν ἰητρὸν οὕτω χρὴ ἰῆσθαι τὰ νοσήματα, ὡς ἑκάστου τουτέων ἰσχύοντος ἐν τῷ σώματι κατὰ τὴν ὥρην τὴν ἑωυτῷ κατὰ φύσιν οὖσαν μάλιστα.

Καὶ τὸν ἰητρὸν) Hæc ad alteram di-
ctorum vtilitatem ſpectant. Docent

enim quòd Medicus huius libelli cognitionem habens rectius morbis mederi queat. Cum enim nouerit Medicus, quis nam humor ſecundum naturam, quo anni tempore itidem ſecundum naturam habente dominetur (quod ex hoc opere intelliget facilime) ſemper animum in curatione ad illum adhibebit. Hic enim eſt qui morbum eius anni temporis fouet. Noſſe autem poteſt ſi obſeruarit naturarum conuenientiam inter tempus anni & humores. Quod enim tempus anni, naturæ humoris alicuius maximè ſecundum naturam conuenit, id huius plurimum obtinebit.

FINIS.

DIGRESSIONES II. ALTERA DE PRAECIPVIS AVTORIBVS ET DE PROPAgatione Philosophiæ,

ALTERA DE ILLVSTRIORIBVS PRINCIPVM PHILOSOPHORVM ANTE ARISTOtelem, Quas circa Principia generationis habuerunt, sententijs ac opinionibus.

EODEM AVTORE.



Anno 1585.

DIGRESSIO I.
DE PRAECIPVIS AVTORIBVS ET DE PROpagatione Philosophiæ.



D QVOS NAM artium & ſcientiarum origo atq; inuentum referri debeat, de eo diſſerũt copiosè Ioſephus contra Apionem, Iuſtinus Martyr in ſermone exhortatorio ad gentes, Euſebius lib. 9. & 10. de præparat. Euangel. Cæterum contra Diodorum Siculum & Diogenem quod græci vt Linus & Muſæus primi fuerint ſapientes, cum tamen hi potius propter pöeſin quàm veram ſapientiam celebres extiterint, tenendum eſt, barbaros, Hæbræos & Aegyptios longè prius ſapientiam excoluiſſe. Id enim confirmant hiſtoriæ eorum, qui à prima mundi origine vſq; ad græcorum Philoſophorum & Thaletis tem-

tempora vixerunt, hominum. Etsi enim continuata serie non licet satis docere, quis apud barbaros cui & quando successerit, quoq; in loco, & quomodo docuerit, quemadmodum de græcis & illis qui hos insecuti sunt Philosophis: tamen ab illis primo traditas scientias, & post etiam excultas atq; ad græcorum tempora propagatas fuisse ostendi potest. Atq; vt primo omnium dicam de Adamo, hunc non modo ante lapsum sapientem, prudentem, virtute atq; omnis generis doctrina præclarum fuisse, verum etiam à lapsu qualemcunq; artium & scientiarum cognitionem retinuisse, quotidianis sermonibus & cogitationibus excoluisse, atq; in filios propagasse, docti saniores omnes in eandem dicunt sententiam. Post hunc occurrit Sethus, qui septem stellis errantibus, quas Planetas vocant, nomina imposuit, cælestiumq; conuersionum scientiam excogitauit, & duabus columnis, lapideæ vni, ne per diluuium, quod futurum

turum præuidebat, periret, latericiæ alteri, ne igne, quo mundum aliquando combustum iri præcognoſcebat, conſumeretur, inſcripſit. Ex Sethi progenie celebres extiterunt Egregores Gygantes, quorum varij artes varias docuerunt. Alius quippe corporis exornationem, alius precioſos lapides & tincturas, alius radices herbarum, alius ſapientiam & quæ incantationes inefficaces reddunt. alius Aſtronomiam, alius aëris conſiderationes &c. Enochus ob ſcientiam Aſtronomiæ celebris extitit referente Cedreno. Noamus ſuarum artium ſpecimina illuſtria in arcæ, de qua Geneſ. 6. & 7. cap. compoſitione & vinearum plantatione exhibuit. Ab hoc laudantur Chami nepotes, Chuſi Aethiopis filij, Nimrod, Iupiter, Mercurius, quos omnes Mathematicas diſciplinas exercuiſſe præcitatus Cedrenus grauiſſimus hiſtoricus memorat, apud quem amplius de Mercurio legitur, quod cognitis, quæ ſibi à fratribus tende-

bantur,

bantur, insidijs, ad stirpem Chami, in Aegyptum abierit, vbi auream ve-stem gerens philosophatus sit & futura prædixerit. Quamobrem etiam ab Aegyptijs Mercurius Deus appellabatur, quod diuinitus nimirum de ijs quæ postmodum euentura essent, responsa administraret. In idem tempus incidit Abraham, qui sub Abimelecho rege maximas cum Astrologis habuit controuersias, ex quo apparet etiam tum temporis Astrologiæ studium floruisse. Circa idem & sequente quoq; tempore, magiam, nec non naturalis scientiæ studium exercuere homines, quemadmodum ex historia Pharaonis Petissonij, regis Aegypti colligitur, alias item artes & scientias docuerunt. Eadem ætate vixit Moyses plurimarum scientiarum peritissimus. Ijsdem temporibus floruit Phænix Agenoris filius, qui Philosophiam de numeris, punicis literis conscripsit, principia item incorporea exposuit, & corporum mutationes, animarumq; in

in alterius generis animalia transitiones declarauit. Sub hoc Hercules vixit Philosopus cognomento Tyrius. Post hos floruit Aesculapius, Castor & Pollux, & hi quidem ante Troiam captam, capta autem fuit anno mundi 2784. Post captam Troiam vixisse Hesiodum, Homerum, & tandem innotuisse sub annum mundi 3290. & circiter Thaletem Eusebius commemorat. Ex dictis itaq; constat primam Philosophorum sectam Aegyptiacam esse & primos artium inuentores Hebræos atq; Aegyptios, à quibus reliquarum etiam sectarum autores suam hauserunt doctrinam atq; artium cognitionem. Idem quoq; docere voluit Plato in Timæo inquiens: Solon Saim Aegypti vrbem profectus, se ab incolis honorificè exceptum fuisse referebat. Cum autem de vetustatis memoria à Sacerdotibus Aegyptijs, qui in hac re cæterorum peritissimi erant, quæsijsset, expertum se esse dicebat, neq; seipsum neque alium græcorum quenquam

quam cognitionem antiquitatis vllam habere. Quamobrem etiam sacerdoté natu grandé dixisse: O Solon Solon, vos gręci semper pueri estis, quandoquidem nulla apud vos cana sit scientia. Aristoteles pariter. 1. Metaphys. inquit: Circa Aegyptum primo scientiæ & Mathematicæ artes constitutæ sunt. Illic enim gens sacerdotum vacare dimissa est. Quo pertinet etiam grauissimum doctissimi Philosophi Francisci Piccholominei, præceptoris mei obseruantia sum̃a colendi iudicium, quod gradu 5. cap. 22. Moralis eius Philo: reperitur, vbi inquit. Lõge prius floruit sapientia apud Assyrios, Armenios, Chaldęos, quàm græcos. A Chaldæis enim ad Hebræos mox translata fuit, ab Hebræis in Aegyptios transfusa, præsertim per Iosephum & Iacobum, qui in Aegyptum cum vniuersa familia commigrarunt, vt legitur in Genesi; ab Aegyptijs in Græcos est propagata, qui de Aegyptiorũ Theologia fuêre solliciti indagatores, &

ob eam causam sapientiores græci frequenter in Aegyptum nauigarunt, vt Anaxagoras, Pythagoras, Plato &c. Ideo Aristoteles. 1. de cœlo text. 22. græcis barbaros præfert, & Plato in Thimęo eos pueris cõparat. Quia verò latini proximè à græcis sapientiam receperunt, & vt inquit Plato in Epinomide, quia quicquid à barbaris græci acceperunt melius reddiderunt; Idcirco præ barbaris græci sapientiæ patres celebrantur. Inter græcos porrò qui secum scientias ex Aegypto attulerũt, eminebat Thales Milesius, idcirco primus in Ionia scholam erexit & Ionicam sectam instituit. Huic successit Anaximander, quem subsecutus est Anaximenes, cuius auditor fuit Anaxagoras; Anaxagoram audiuit Archelaus, qui magister fuit Socratis, & Philosophiam ex Ionia Athenas transtulit; vbi postmodum Socrates vixit & relicto Philosophiæ naturalis studio, tanquam minus ad priuatam vitam necessario, se totum Philoso-

loso-

losophiæ morali dicauit, quam & ibi-
dem professus est. Quamuis verò So-
crates plurimos habuit auditores, præ-
cipui tamen fuerunt Aristippus (cuius
auditor Aethiops Ptolomęus & Cyre-
neus Antipater erant) Cyrenaicæ; An-
tisthenes (cui successit Diogenes Cy-
nicus, Crates Thebanus, Zeno Citti-
cus, qui stoicæ sectæ princeps fuit, &
cuius coætaneus erat Epicurus, Epicu-
reæ sectæ autor, qui sectatores habuit
Metrodorũ Hermacum & Zenonem,
de quo apud Ciceronem. 1. de Nat.
Deor. Philo; Post Zenonem Citticum
fuit Cleanthes, cui successit Chrysip-
pus) Cynicæ; Plato Academicæ sectæ
autor, & Xenophon qui historijs & po-
liticis studijs se dedit. Platoni succe-
sit Speusippus sororis filius, Xenocra-
tes, Aristoteles, Polemon, Crantor,
Crates cuius auditor fuit Arcesilaus,
quem peculiarem instituisse Acade-
miam, & mediam inter veterem Pla-
tonis & nouam Lacydis memorat Di-
ogenes. Fuit tamen Arcesilai discipu-

 lus

lus Lacydes, cui ſucceſſit Carneades (quem Euſebius 14. de præparat. Euang. tertiam Academiá erexiſſe ait, quod tamen Cicero 2. Academ. quæſt. admittere non videtur, vt vt in quibuſdam diſſenſiſſe Carneadē ab Arceſila doceat) eique Clitomachus, cuius Philo Ciceronis magiſter auditor fuit. Et hæc de ſectæ Ionicæ propagatione.

Tempore porrò Anaximenis, Pythagoras Phærecidæ diſcipulus nouam in Italia, quam græciam magnam nunc vocant, ſcholam erexit, regnante Tarquinio ſuperbo; præcipuè autem in vrbe Crotone non procul à Tarento docuit. Succeſſores habuit Telaugen filium, Xenophanem, Parmenidem, Meliſſum, Zenonem Eleatem (vnde etiam Eleaticæ ſectæ autores ab Euſebio lib. 10. de præparat. Euang. dicuntur, pertinent tamen ad ſectam Italicam) Leucippum, Democritum. Thelauges præceptor fuit Empedoclis, cui ſucceſſit Epicharmus, Architas Tarentinus, Alcmæo Crotoniates,

Hip-

Hippasus Metapontinus & Philolaus. Atq; hunc in modum se res habet de successoribus Pythagoræ in secta Italica. Reuertamur nunc ad Aristotelem Platonis successorem. Is igitur Aristoteles abliguritis omnibus pecunijs, quæ ex hæreditate parentis ad eum deuenerant, in militiam contendit, referente Aeliano, & cum malis anibus pugnaret, pharmacopola factus est; at tandem iussu oraculi Athenas profectus, Socratem per tres annos integros audiuit: vt tamen haberet vnde victum quæreret Athenis, Pharmacopoliũ apertũ habuit. Erat autem tum cũ Athenas veniret annorũ. 17. Socrate vita functo Platoni se addixit, annos natus 20. vt Ammonius refert, vel 23. vt Diogenes, eiq; auditorem se præbuit diligentem per integros viginti annos. Mortuo autem Platone, Speusippoq; eius nepote in schola surrogato, clauso Pharmacopolio aulam est sectatus, referente ex Thimæo historico Suida, & anno secundo Olympia-

dis centeſimæ nonæ, ad Philippum Macedonum regem, Alexandri filij inſtituendi cauſa, profectus eſt. Interim Speuſippus per octo annos ſcholam tenuit. Speuſippo mortuo, Xenocrates anno ſecundo Olympiadis centeſimæ decimæ ſcholam ſuſcepit. Ariſtoteles porrò quinquagenarius Athenas reuerſus tredecim annos continuos vſq; dum moreretur ibi docuit, expulſo forte Xenocrate ex Academia; Cum enim Athenas reuerteretur & Xenocratem (qui poſt Ariſtotelis obitum per octo inſuper annos profeſſus eſt) adhuc docentem inueniret, hunc pronunciaſſe verſum dicitur; αἰσχρὸν μὲν σιωπᾶν Ξενοκράτη δὲ ἐᾶν λέγειν. Ammonius tamen ambos in Academia non docuiſſe, ſed Xenocratem in Academia, Ariſtotelē verò in Lycæo refert. Conſtituit igitur Ariſtoteles ſectā Peripatheticam, quæ (vt aliarum quædā nomen ab autore, vt Pythagorica: quædam à patria autoris, vt Cyrenaica Ariſtippi: quædam à loco vbi philoſophabantur

bantur ſapientes, vt Academica & ſtoica: quædam à genere vitæ vt Cynica: quædam ab electione & iudicio in philoſophando vt Ephectica & Sceptica, harum enim principes, autore Pyrrhone, nullum eſſe certum iudicium rerũ affirmabant) nomẽ accepit ab actione quã obſeruabat Ariſtoteles in philoſophando, docebat enim deambulando. Succeſſerunt Ariſtoteli Theophraſtus, Eudemus, Strato Lampſacenus cognomento Phyſicus, Critolaus, Diodorus, Demetrius Phalerius, Cratippus, & multo poſt tempore, Alexander Aphrodiſæus, Per hos poſtmodum & alios, nempè ex græcis Porphyrium, Syrianum, Ammonium, Philoponum, Simplicium, Themiſtium, &c. Ex latinis Albertum & Thomam, ex Arabibus Auerroem, in totum quaſi orbem terrarum ſcientiæ atq; artes ſunt diſſeminatæ, quæ ad hæc noſtra vſq; tempora conſeruantur.

DIGRESSIO 2.

DE ILLVSTRIORIBVS CIRCA GENERATIONIS PRINCICIPIA ANTIQUORUM PHILOSOPHORŨ ANTE ARISTOTELEM OPINIONIBUS.



RO EXACTIORE & perfectiore opinionum antiquorum de principijs generationis intelligentia quædam præfari oportet, ſunt autem hæc:

I. Veteres ante Platonem, ea Elementa non vocabant, quæ intrinſecus rem conſtituunt, niſi eiuſdem generis cum ea, quam componunt, exiſterent. Corporum enim Elementa non ſubſtantias incorporeas ſed corpora eſſe contendebant. Hinc Gal. comm. 2. lib. 1. de Natura humana Hipp. Hæc quæ nos ponimus Elementa minimè ſecundum veteres vel hominis naturæ, vel cuiuſpiam alterius rei Elementa ſed potius principia exiſtunt. Nunquam enim, exempli gratia, ignem in duo corpora,

corpora, è quibus illum esse contemperatum posses ostendere, diuides, duplicem licet eius substantiam esse cogitare possis. Et Aristoteles. 1. Physic. tex. 48. etiam ea quæ immanent in generatione & constitutione rei, elementaq; propterea vocari possent, ab antiquis tamen principia vocari significat. Primus autem Plato referente Simplicio in proæmio Phys. ab alijs vocata principia Elementa dixit. Aristoteles etiam principij nomen præsertim externis, internis Elementi, vtrisq; causæ nomen conuenire docuit.

II. Veteres Entis nomen pro principio assumebant, dum inquisiuerunt, vnum ne an multa sit id quod est, text. 7. 1. Physic. Quod idem ex eo manifestum esse potest, quod verisimile non sit, ipsos de multitudine eorum, quæ existunt in vniuerso, dubitasse.

III. Xenophanes, Parmenides & Melissus non de Deo scientiam aut abstractis formis tradere constituerunt, cum vnum, id quod est, hic secũdum

materiam, ille secundum rationem, tertius in cœlum respicienſque Deũ id vocans, dixerunt; id quod ex ipſorum ſermone facilè oſtendi poteſt.

IIII. Sic igitur Parmenides, vt ingenioſiſſimus Philoſophus Beſſario Cardinalis libro 2. in calumniatorem Platonis, capite vltimo refert, cecinit:

Eſt & idẽ per ſeq; manens Ens ſemper eodem
Immotum, fixumq; ſimul, vis magna neceßi
Implicat hoc circum, ſummo quoq; fine coërcet
Quod ſi fine vacet nequaquam dicimus eſſe
Si quid namq; deeſt opus eſt Ens omne deeſſe.

Sic autem Meliſſus, eodem Philoſopho eius citante carmina.

Ingenitum quando eſt, ſit & immortale neceſſe
Quod nec erat, nec erit, totum nunc eſſe fatendum eſt
Vnum continuũ, nam quem eius dixeris ortum?
Aut quo tandem? aut vnde? nec ex non Ente putandum eſt
Nec dici ore poteſt, noſtra nec mente reuolui,
Quod nihil eſt; nam quid poſt ipſum fecit oriri
Aut prius? Entis enim non ſunt primordia primi.
Nunquam ergo, aut ſemper de quo nunc dicimus Ens eſt

Ex

Ex nihiloq; nihil fieri ſententia perſtat.
Ergo ortus nullus nec erit poſt ſecula finis.

Xenophanes deniq; referente Ariſtotele in libro proprio de Xenophane & Gorgia hoc modo dixit: Aeternum eſt id quod eſt, ſiquidem ex nihilo fieri non potuit; quod æternum, infinitum, cum neq; principium vnde extiterit habeat, neq; finem, in quem fieri aliquando deſierit; At quia infinitum, vnum. Si enim ſint duo aut plura ea, inter ſe fines erunt, ac ſeſe mutuo terminabunt; At quia vnum, ſibi etiam ſimile vndiquaq;, eò quod ſi diſſimile plura eſſet. Cum autem æternum, Infinitum, Vnum, ſibi ſimile, ideo etiam immobile. Non enim moueri poſſet niſi exceſſerit, & tunc vel in plenum, vel in vacuum excedit. Atqui plenum admittere non poteſt, vacuum autem nihil eſt, non igitur vel ſitu tranſponi, vel forma diuerſificari, vel alteri miſceri poteſt.

V. Ex his colligo, quia tam ſtudioſè & diligenter omnia perpenderunt

antiqui

antiqui prædicti, ipsos de re tali locutos, de qua, an vna rectius, an multæ dicantur, dubitari poterat. Quis vero de Deo, vnum esse, infinitum, æternum dubitaret sapiens? aut quomodo tam multa sequuntur absurda, si vnus, æternus, infinitus dicitur Deus, vt opus habuerit Zeno, quemadmodum in Parmenide Plato ab initio inquit, asserere, quod plura sequantur absurda, si dicatur id quod est esse multa, quàm si affirmaretur cum Parmenide id quod est esse vnum. Quis Deo, abstractis formis & intelligibilibus substantijs circumscriptum locum extra quem moueri nequeant, vt Xenophanes, aut continuitatem vt Melissus, aut finitatem molis vt Parmenides, cum omnium iudicio quantitatis sint expertes, tribuit ex sapientibus? Quomodo amplius de cœlo Parmenidis verba interpretabimur, si vnum id quod est, totum est & omne, præter ꝙ aliud non existit Ens, præsertim si, quod Simplicius inquit, voluit insuper Parmeni-

meni-

menides vnum id quod eſt, intelligerẽ per ſuam Eſſentiam? Nunquid quia animam habet id ei conuenire dicendum? Verum ſic non vnum ſed duo erit id quod eſt. Dubitari porrò rectè poterat, an ea quæ exiſtunt in vniuerſo ex vno principio omnia prodierint, an verò ex pluribus, & quomodo vnum fiant. Et rurſus, quia à vero alienum eſt ſingularum rerum peculiaria eſſe principia, res inſuper inuicem transmutentur, conſpiciaturq́ mutua actio & reactio in inuicem in rebus naturalibus; quæ omnia communitatem principij & materialis quidem indicant, rectè dici videtur vnum eſſe principium omnium, quæ in vniuerſo ſunt, (materiam enim inferiorum corporum & cœleſtium antiqui ante Ariſtotelem & Architam referente Porphyrio in libro de Abſtinentia ab eſu carnium, non diſtinxerunt) & illud quidem Ens; quandoquidem ſi non eſſet Ens ſed nihil, ex nihilo oporteret alia, quæ ſunt, fieri, contra com-

munem

munem ſapientum doctrinam. Amplius oportebat illud æternum eſſe, nec ex alio pendere, aliter primum non eſſet, ſed ſe prius obtineret, quod vel non Ens & nihil, vel Ens fuiſſet; quorum neutrum dici poteſt, cum Ens iam ſit, ex nihilo autem nihil fiat. Rurſus quoniam materia principium eſt, & vnum quidem omnium rerum, quod vt oſtenſum eſt æternum exiſtit, à principijs autem pendeat Eſſentia rerum tota, illam quoq; rebus omnibus totum eſſe tribuere, ac proinde ea quæ ſunt, vnum exiſtere ſecundum rem, quantumuis plura adſenſum videantur eſſe, credibile eſt. Hoc intelligentes prædicti iſti philoſophi, neq; tamen valentes ſufficienter diſcernere inter diuina, intelligibilia, & ſenſibilia, dum primi principij vnitatem accuratius explicare conantur, partim in Deum aciem mentis intenderunt, & quia ab hoc pendere omnia, ipſumq; verè primum rerum principium, itemque æternum (cum ſenſibilia corru-

ptioni

ptioni ſint obnoxia) eſſe, & rectiſſimè numero vnum ſtatui cognoſcebant, ipſum, naturalium cauſas, & id quod eſt exponentes, quaſi obliti huius conſilij, vocarunt iſtud Ens & principium, eiuſq; proprietates generationis principijs atq; Elementis attribuerunt, & cum horum prædicatis commiſcuerunt, quemadmodum Xenophanes. Partim in Idæam mentis diuinam, quam vnam & ſenſibiliũ rerum principium aſſumebant, reſpexerunt, & iſtius attributa ſenſibilium Elementis accõmodarunt, & id quod eſt, vnum, immobile, (Finitum ſecundum rationem propter primum principium cuius virtutem participant omnia quæ in vniuerſo ſunt, & à quo perfectionẽ atq; finitatem obtinent, poſuerunt, vt Parmenides; partim in ſenſibilibus cogitationes fixas tenuerunt, & in vno ſubiecto communi omnium, quod omnes res naturales participant, de quo tamen Metaphyſicas concluſiones intulerunt, vt Meliſſus.

VI. Me-

VI. Meritò igitur Aristoteles ipsorum physicã in physica sua perpendit, quantumuis isti, si medium respexeris, & modum tractandi; non physicè loquantur, sed Metaphysicè; Neq; rursus eodem modo omnes; & sic confundant diuina cum naturalibus propter ignorantiam. Quamobrem Aristoteles. 1. Physic. tex. 12. à naturalibus illos quoq; separat, atq; 1. Metaphysic. cap. 5. ait: Xenophanes ad totum cœlum respiciens ipsum vnum ait esse Deum. Parmenides autem aliò spectans, hoc est, ad aliud respiciens vnum secundum rationem attigit, Melissus verò secundum materiam. Et 3. de cœlo tex. 2. Etsi de naturalibus locuti sunt Parmenides & Melissus, vt qui nihil aliud præter sensibilium substantias esse existimarunt, tamen naturaliter non dixerunt, interim aliqua ex se vera, sed non pertinentia ad naturalem Philosophum. Esse enim Entium quædam ingenerabilia & immobilia magis est alterius considerationis & prioris

ris quàm naturalis. Sed tales quaſdam ſubſtantias intellexerunt primi, cum tamen ſenſibilia eſſe omnia dixerint quæ ſunt; & ſic tranſtulerunt ad hæc illinc rationes.

VII. In hanc ſententiam dicentes facilè poſſumus declarare quo modo Parmenides & vnum, id quod eſt, dixerit, & duo principia rerum, contrariaq; , puta terram & ignem, calidum & frigidum poſuerit. Non enim, quod Auerroës ait, diuidebat Entia, & duplicia ſibi imaginatus eſt, vere Entia, puta Deum, & Entia ſecundum imaginationem, cuiuſmodi ſunt ſenſibilia, naturalia & corruptibilia: (quia tum vel ipſemet Ariſtoteles ſe malitiæ inſimulaſſet, ſignificans textu 41. lib. 1. Phyſ. ſe inſidioſè & falsò adeoq; inaniter antea, tex. 25. & ſequentibus aduerſus Parmenidē diſputaſſe, cum ipſius dicta in alium ſenſum detorſerit; quod enim de diuinis & vere Entibus protulerat, id Ariſtoteles ſenſibilibus applicarat; Inſignis malitiæ in-

dicium grauissimum) sed de ijsdem rebus formauit has conclusiones, vario tamen modo consideratis, Diuidebat enim considerationem istarum. Possunt enim mortalia dupliciter considerari, vel quoad rationem, secundum materiam & essentiam, atq; hoc modo omne quod est, vnum est, quia omnium vna est essentia atq; natura, aut principium, à quo totum, res, esse suum habent; vel quoad sensum, secundum id quod apparet in externa superficie, atq; accidentia, & sic contraria esse videntur, & alia ex frigido & terra, alia ex calido vel igne fieri, id quod exemplo hoc probari potest: Prope nos reperiuntur vasa ex eadem terra conflata, alia tamen sunt nigra; alia alba; nunquid non omnia hæc vnum sunt, quo ad substantiam interni principij nempe terræ? Et rursus eadem plura atq; contraria, quia sensu hęc alba, illa nigra percipiuntur, quasi ex alijs & specie rebus diuersis orta? Ad eundem modum leui negocio defendetur

fendetur Ariſtoteles aduerſus iniu-
rias eorum, qui aiunt, ipſum quoq; e-
andem cum Parmenide & Meliſſo ſen-
tentiam 12. Metaphyſ. & 8. phyſic. pro-
nunciaſſe, nempe vnum eſſe primum
motorem, æternum, immobilē & infi-
nitum, cum non ſit vtile plures eſſe re-
ctores; nunc verò malitiosè hanc ean-
dem opinionem, quòd à Parmeni-
de & Meliſſo prolata ſit, refutare &
calumniari; quaſi verò Ariſtoteli lice-
ret falſa proferre, alijs vera dicere non
item. Reſpondemus enim magnū eſſe
diſcrimen inter Ariſtotelis & anti-
quorum Philoſophorum ſermones; hi
de diuinis rectè multa loquebantur,
ſed malè poſtea ſenſibilibus, præter
quæ eſſe nihil affirmabant, accommo-
darunt, & ſic phyſicam metaphyſica-
lem tradiderunt citra autoritatem &
præter decorum. Ariſtoteles verò,
quod de intelligibilibus pronuncia-
uit, ad ſenſibilia nunquam retulit,
neq; in phyſica de primo motore per
ſe, tanquam re conſiderata agit, ve-

rum per accidens, quatenus motus principium aliquod est. Hinc illum ipsum à principijs generationis, de quibus in primo operis physici libro per se egerat, distinguit, dum illum actum perfectissimum & purissimum seiunctum à materia fatetur; Materiam autem actum à forma assumere, & hanc è materiæ potentia educi, & inseparabilem esse docet. In sensibilium porrò principijs tradendis non vnum duntaxat sed plura imò tria semper inquisiuit, & tanquam omnino necessaria assumpsit.

VIII. Valeant ergo Simplicius, Plotinus, Bessario Cardinalis &c. qui conuenire Xenophanem Parmenidem & Melissum, atq; de Deo & intellectibilibus rebus locutos esse, diuersis autem verbis vsos, affirmant. Sic enim Bessario; Conuenit enim inter Xenophanem & Parmenidem, Ens ipsum vnum atq; finitum esse, ea ratione, quòd vnũ prius quàm multa esse necesse sit, & quia ꝗ cæteris omnibus

causa

causa est vt determinentur ac finiantur, id finitate magis quàm infinitate describi debeat, tum etiam quia quod omni ex parte perfectum absolutumque est, suumq; præcipuum obtinet finem, id finitum, & finem ac principium omnium esse oportet, quod enim imperfectum & indigens est, id nondum finem recepisse dicendum. Verum in eo inuicem diffident, quod ad motus priuationem pertinet. Xenophanes enim, in eo quod motu ita priuatur, vt nunquam moueri possit, quietem etiam esse meritò negat. At Parmenides cum carmine scriberet, morem secutus vulgatiorem, & quia quæ manent nequaquam moueri perspicuum est, idcirco cum Ens ipsum immobile vellet significare, manere dixit. Melissus autem idem Ens infinitum assumit, quia eius substantia immensa est & virtus infinita. Hoc modo ipsi quoq; inter se, cum sententia minimè discrepent, vsu tamen quodam verborum contraria dicere

videntur. Valeant inquam hi, siquidem eorum dogma per quintum nostrum notabile, vbi de Deo solo & abstractis substantijs antiquos locutos non esse, ostendimus, corruat. Ex dictis amplius manifestum est præcitatos minus quoq; rectè à calumnijs tueri Aristotelem. Simplicius quidem ait; Aristoteles non sententias ipsorum, sed sermonem ænigmaticum repræhendit, exposuit, declarauit. Bessario verò; Repræhenduntur antiqui ab Aristotele, quasi nihil rectè senserint vel scripserint, Imò quæ illi de diuinis rebus locuti sunt, quasi de naturalibus dicta essent, à physica ratione propulsantur, vtrum verò hoc honestius distinguendo quàm reprehendendo fieri potuisset, non equidem quæro. Sed cum ita Aristoteles voluerit, accipienda eius repræhensio pro distinctione potius, quàm pro nota inscitiæ doctissimorum virorum; interim ne qui rudiores sunt & hebetiores ad ipsorum abstrusa sensa introspicienda, arripien-

ripientes quod primo quaſi aſpectu ex ipſorum dictis apparet, in errorem laberentur, voluit Ariſtoteles eorum opiniones ita tractare, vt ipſas vulgo improbare ac repræhendere videatur, dum quod prætermiſſum eſt ſupplet, quod obſcurè dictum declarat, & alia quæ in ſpecie falſa ſunt refellit, Hæc omnia per 5.6.& 7. notabilia euertuntur.

IX. Inter tres hoſce tamen Philoſophos præcipuè inconſtans fuit Xenophanes, Vnde & Theophraſtus referente Simplicio, 1. Phyſic. tex. 6. voluit, inquit, Xenophanes vnum id quod eſt neq; finitum neq; infinitum, neq; mobile neq; immobile, ſed motus & quietis expers eſſe. Et Ariſtoteles. 1. Phyſic. inquit, ipſum dilucidum, clarum, certum nihil dixiſſe, neq; Parmenidis aut Meliſſi mentem attigiſſe. Meliſſus verò quia in hiſce inferioribus permanet oculosq; figit, ineptiſſimè intelligibilium proprietates ijs accommodat; atque ſententia eius

primo quaſi occurſu falſa apparet, & quia nullam veri ſpeciē habet, idcirco etiam ἀπορίᾳ carere dicitur. Quam ob cauſam ipſius etiam ὁ λόγος. 1. phyſic. tex. 10 ab Ariſtotele μᾶλλον φορτικὸς, vt & ante Ariſtotelem à Platone, quemadmodū in Theæteto & Sophiſta videre eſt, vocatur. Parmenides verò vt qui nec in ſenſibilibus commoratus eſt, nec altè nimis oculos atque mentem eleuauit, ſed medium inter prædictos tenuit, valde veriſimiliter pronunciauit, id quod eſt vnum eſſe ſecundum rationem. Hinc eſt quòd ab Ariſtotele præter cæteros laudatur, & à Platone in Parmenide vir verendus, acer, qui reconditam animo ſapientiam habeat, dicitur. De his porrò duobus poſterioribus pauca. 1. Metaphyſ. plura in. 1. lib. phyſ. Ariſtoteles; Porro quia id ꝙ eſt, h. e. principium rerum naturalium vnum ſolum, continuum, quod, vt Plato in Theæteto ex ipſorum ſententia refert, ipſum in ſeipſo conſiſtit, nec locum, in quem moueatur, habet, adeoque

que non genere, non ſpecie, quia tum plura re ipſa concederentur generationis principia, quæque extra ſe ipſa eſſent, ſed vnũ numero eſt,adeoq; immobile, eſſe aſſeruerunt, & in eo declarando diuinarum rerum proprietates aſſumpſerunt, ac proinde de ipſo talia pronunciauerunt, per quæ ineptum ad generationem redditur, & idcirco nihil minus ſit quàm generationis rerum principium; propterea Ariſtoteles ipſorum ſententiam in. 1. phyſic. libro à textu 13. vſque ad 31. examinat & tandem cum aliorum falſis opinionibus refutat atque reijcit. Hactenus de his, nunc de Thalete.

Qui de rerum & generationis principijs locuti ſunt, vel vnum, vel plura, vel partim vnum, partim plura poſuerunt. Qui vnum, illi vel finitum & rurſus mobile, quemadmodum Thales, Anaximenes, Heraclitus, Phęrecides; Aut im̃obile, vt Parmenides, vel infinitũ aut mobile vt Anaxagoras; aut Immobile vt Meliſſus. Vel neç

Finitûm nec Infinitum, nec Mobile nec Immobile conſtanter pronunciauerunt, quemadmodum Xenophanes. Qui plura, vel numero Infinita, eaque aut genere eadem, ſpecie tamen diſtincta ac figura, quemadmodum dicebat Democritus, Leucippus, Epicurus; Aut genere ſimul ac ſpecie diuerſa ac contraria veluti Anaxagoras. Vel numero finita, atque vel duo vt Parmenides, vel tria vt Plato, vel quatuor vt Empedocles, vel decem vt Pythagoras. Poſtremá partitionis principalis partem defendiſſe Anaximandrum, Parmenidem, Anaxagoram, Empedoclem. 1.phyſic. tex.32. Ariſtoteles &. 1.de ortu & interitu tex.3. docet. Quia porro de Xenophane, Parmenide & Meliſſo diximus, reliquum eſt nunc aliorum quoque quos Phyſicos Ariſtoteles appellat, non quòd reliqui de Phyſicis rebus non etiam diſputarint, ſed quòd de ijs hi Metaphyſicè, reliqui autem Phyſicè locuti ſint, motum ſemper aſſumentes, opinio-

piniones conſiderare & primò Thale-
tis.

Thales itaque de principijs generationis rerum opinionem habuit hanc: nempe vnum eſſe rerum omnium principium, veruntamen mobile videlicet Aquam. Quapropter arbitrabatur non quidem quicquid eſt in vniuerſo eſſe Aquam, ſuis enim hoc modo ſenſibus manifeſtè contradixiſſet, ſed omnia quæ ſunt in vniuerſo ſuum eſſe obtinere ab vna & ſola aqua mediante vel rarefactione vel condenſatione. Cum enim generationis naturæ principia intueretur, eaq; humidum aqueum craſſius intelligeret, ex quo calidum quoque natiuum, per quod viuunt omnia, oritur, cuncta præterea humido quodam aqueo ali & nutriri cognoſceret, in eam deuenit opinionem, quale eſt alimentum tale & principium conſtituens, Id verò aqueum. Ergo aqua rerum omnium principium. Vnde illuſtris Comes inquit Picus Mirandulanus, Thaletem

ad

ad imitationem Aegyptiorum aquam generationis principium posuisse. Idem enim illis quoque videbatur, quandoquidem ex inundatione Nili fæcundum solum fieri conspiciebant. Huc pertinent etiam ea, quæ cap. 4. 1. Metaphys. apud Aristotelem leguntur. Nunquid & propter inconstantiam ac fluxibilitatē, permutationemq́ perpetuam rerum sensibilium aquam dixit principium, tanquam cuius proprium est continuò fluere? An quòd principium oportebat esse indeterminatum, aptum recipere alias impressiones formas & terminos, quæ omnes conditiones sunt humidi, cuiusmodi est aqua?

Sodalis vero Thaletis Anaximander non æthera, vt putauit Galenus, aut aërem, sed tenuius aëre, crassius igne corpus, ceu Themistius ex Aristotele tex. 32. 1. Physic. refert, principium rerum ponit, ex quo infinitæ cōtrarietates in existentes secerni possunt. Quia enim generationes infinitas fore

fore cognoſcebat, arbitrabatur neceſſè eſſe, vt principium quoque generationis terminum non haberet, quapropter infinitum id dixit, teſte Plutarcho de Placitis Philoſophorum. Amplius verò definiens illud, faſſus eſt res ac contrarietates infinitas id in ſe continere, rerumque generationes ex eo per ſecretionem fieri; quibus verbis manifeſtum fecit, id non Elementum, ſed medium corpus inter Elementa eſſe, eo modo quo diximus; quicquid Nicolaus Damaſcenus, Porphyrius & Plotinus in libro de Materia cap. 7. dicant, Ex Elementis enim non per ſecretionem ſed rarefactionem aut condenſationem res alias produci veteres philoſophi dixerunt. Quale tamen hoc ſit & quod ei nomen eſſet non expoſuit, forte tamen intellexit duplices halitus, ex quibus meteora fiunt. Inexiſtere porrò illi omnia cenſebat, propterea quòd niſi ex præexiſtente nullam fieri generationem arbitraretur. Corpus præterea vocabat

bat, ꝙ materiã corporeitatem exuisse nunq̃; compertũ esse sciret,& forte nisi hoc expressisset ac raritate densitateque actuali suum principiũ determinasset, exponi eius sententia de materia prima potuisset, vt quæ infinita, non quòd supra omnes terminos, sed quòd infra omnes terminos collocata nullum ex illis habet & cunctos recipere valet, ideoque conuenit ei terminari; quæ item omnia in se continet potestate non actu, ex qua denique tanquam ex potentia secernuntur formæ, quæque absque forma non datur extra corpus demonstrabilis.

Anaximenes Anaximandri discipulus cum Diogene principium quidem vnum generationis rerum posuit, sed illud aërem vocauit. Cum enim de ratione primi principij generationis sit, facilè in omnia verti posse, alienasque affectiones & formas recipere, item rebus esse largiri compositis, aërem illud esse, quippe qui facilè in alia mutatur, quoque viuimus, censuit.

Quid

Quid quod fœcunda Spiritu semina esse etiam Aristoteles affirmat. 2. de Generat.animal. cap.3.

Heraclitus porrò Ephesius quia vitam animalium in calore consistere, calore omnem mixtionem & generationem fieri, ignem præterea subtilissimum & tenuissimum esse, adeoque ad mixtionem & vnionem aptissimum, poëtas denique Solem, Cœlum (quasi à κηλέω dictum quod est comburo) & stellas ignem vocare, vt apud Virg. & Ouid. multa exempla extant, intelligebat, eò deuenit vt principium generationis rerum primũ, diceret ignem. Denique quanquam in scriptis editis Philosophorum non inueniatur terra sola pro principio generationis propter difficilem eius mutationem & densitatem posita, quosdam tamen sapientes in conuentibus circularibus eam sententiam defendisse, autor est Hippocrates libro de Natura humana. Et Plotinus Enead: 5. lib. 1. cap. 9. in fine ait, Alij quidem sua in libris sensa

posteris

posteris reliquerunt, alij verò non in scriptis, sed in viua voce, consuetudine tradidêre aut penitus omisêre. Præterea Phærecides & Hesiodus cum animaduerterent omnia mixta grauia esse, & tandem in puluerem desinere, arbitrati sunt, terram esse principium generationis rerum omniũ, quamobrem eam quoque patrem matremq; vocauêre, vt quę conciperet & pareret ex se. De his porrò omnibus, qui vnum sed mobile generationis principium rerum posuerunt, Aristoteles iudicium facit. 1. Metaphys. cap. 4. & 2. Physic. nempe quòd perperam solam materiam principium, à quo res totum suum esse haberent, ponant, item quòd Ens actuatum, principium dicant, & solis accidentibus per condensationem & rarefactionem id mutatum, in res sensibiles omnes quas tamen forma substantiali differre scimus, abire putent. Denique quod efficientis principij nullam mentionem faciant, cum tamen materia ex se non habeat,

habeat, vt moueatur. Hactenus de opinionibus Philoſophorum antiquorum, quibus vnum quidem, ſed mobile generationis rerum principium eſſe viſum eſt.

Ex ijs porrò qui plura, numero tamen Finita poſuere principia, primus fuit Pythagoras. Is autem cum in principio animum ad ſtudium Mathematices adiunxiſſet, & ex diſciplinis his, Arithmeticæ, primæ ſpeciei (ſimplicior enim numerus eſt ipſo continuo, quod addit aliquid ad numerum, nempe concernit ſitum & dimenſionem; is etiam prior geometricis magnitudinibus & figuris, quæ in numeros amplius reſoluũtur vt principia, qui numeri à materia quoque magis ſeiuncti ſunt, & formę conditionem, cum figuræ materiæ potius ſeruent) operam nauaſſet, poſt vbi phyſica explicare voluit, numerorum affectionibus vſus eſt, tanquam inſtrumento, & re ſibi maximè familiari, præſertim tamen in eum finem, vt na-

turæ myſteria tanquam Dei arcana puriora conſeruaret,& à vulgi garrulitate ſecerneret, nõ autem quaſi exiſtimaret reuera ex numeris Arithmeticis vel figuris geometricis res naturales conſtare. Dixit ergo, principia generationis rerum eſſe Numeros. Vt enim numeri omnes ex vnitate, quam participant, oriuntur; ita & rationes à Deo, quem per primam vnitatem, vt eminentiſſimam, quæque ſupra, non infra (quemadmodum nnmeri principiũ,& punctũ) Ens, & ſupra omnem oppoſitionem, multitudinem ac magnitudinem, (quamuis enim ſit omnia & cauſa omnium, tamen hæc eſt, vnum exiſtens, & ſine contrarietate & amiſſione, neque habet contrariam multitudinem tanquam contrarium, ſed tanquam receſſum à ſe, quomodo omnia ei opponi rectè dicimus,) collocata eſt, intellexit, proficiſcuntur, atq; eius eſſentiam includunt;ad quarum auté imitationé deinde Entia alia fiunt. Igitur cũ principia numeros Pytha-

thagoras appellauit, nõ Mathematicũ numerũ & Accidens, sed Idealẽ intellexit, quem essentiã rerũ putauit, vt Simplicius. 1. de Anima & Aristoteles. 1. Metaphysic. cap. 5. testantur. Inquit enim hic: Pythagorici id tantum superaddiderunt, quod & proprium eorum est, quòd Finitum & Infinitum & vnum non putarunt vllas alias esse naturas, nempe Ignem, aut terram, aut aliud simile, sed ipsum Infinitum & ipsum vnum, horum esse substantiam, de quibus prædicantur, quare & numerum substantiam omnium esse. Hinc etiam est quòd idem libro citato cap. 6. ait: Pythagorici imitatione numerorum affirmant Entia esse, non differentes à Platone, quàm quod hic nomen imitationis mutando, dixit ea participatione fieri, Atqui Plato participatione Idæarum; Ergo & Pythagoras imitatione Idæarum; has igitur per numeros intellexit. Quãobrem Deum certis omnia numeris per congruentes rationes constituisse Py-

thagorici pronunciauerunt. Verum ſubſtantias eſſentiasue ac principia rerum numeros vocarunt Pythagorici, vel quia Idæa ſubſtantialis quælibet definita eſt rei, & congruens numerus, cuius imitatione formæ naturalium rerũ conſtituuntur. Vel quod ſicut numeri ab vnitate pendent & eſſe ſuum ex vnitatibus obtinent (quæ cauſa, eſt quod ab Alexandro, paris & imparis numeri, vnitas generatrix dicitur) ita quoque eſſentiæ & formæ rerum naturalium, ſuum eſſe habeant à prima vnitate & Deo per congruentes in ipſo rationes: Quæ formæ, & numeratus externarum rerum numerus, quoniam rei perfectionem totam proximè largitur per tria, principium nempe Medium & Finem, hinc varijs locis multa numero ternario perfici, 1. de cœlo. 2. de part. animal. Ariſtoteles dixit. Vel deniq; vt. 1. Metaphyſ. cap. 5. Philoſophus monet, quia affectiones conditioneſque numerorum, conueniunt cum affectionibus & proprieta-

prietatibus rerum;imo hæ per illas re-ctius, quàm Elementorum passiones explicari posse videntur. Ad numerum enim tanquam ad primum analogatum propriè pertinent. Vnde & Aristoteles 9. Metaphys.tex.10.definitiones & essentias rerum perinde ac numeros se habere asserit. Sic enim, exempli gratia, Iusticiæ affectio est æquabilitas & proportio, hæc verò propria numeri est affectio. Hinc est quòd dixerunt Pythagorei, ex vnitate & numeris omnia fieri & esse, & proinde essentias rerum ac principia ipsos numeros existere; Ex numeris enim Idæalibus ortum ducunt, tanquam imitationes & vmbræ, numeri rerum numerati, ac numerorum proprietates, quas illi deinde per numeros numerantes vt sibi notiores explicarunt. Idem tribuerunt figuris propter figuram Indiuiduam & exactissimam, quæ in Idæis viget, & quòd proprietates earum conueniant rebus externis. Hic modus quo numeri & figuræ essentiæ re-

rum dici possunt, mihi præ expositio-ne Laertij placet; hæc enim istum mo-dum exactè non declarat; inquit au-tem, dixisse Pythagoram, vnitatem omnium esse principium; porro ex vnitate indefinitam dualitaté, veluti materiã autori vnitati subiecisse, ex v-nitate rursus asseruisse & indetermina-ta dualitate numeros gigni, ex nume-ris puncta, ex punctis lineas, è quib⁹ fi-guræ planæ, è quibus solidæ, è quibus consistunt corpora solida, inter quæ etiam sunt quatuor Elementa, quæ per omnia se mutant ac vertunt, ex quibus mundus animatus, intelligibi-lis, rotundus, mediam terram conti-nens, quæ & ipsa globosa, rotunda ac circum habitata. Cæterum Pythago-ras, vnum & rationes, adeoque nume-ros & figuras aut superficies pro prin-cipijs assumens remotis, proximiora vt imitationem Idæarum & primæ v-nitatis exponeret, in decem (quoniam numeri ex se non crescunt amplius quàm ad decem, reliqui enim tantum

sunt

ſunt repetitiones denarij & aliorum) contrarietates diſtinxit, ſecundum duplicem ordinem: quamobrem conſenſiſſe cũ eo Alcmęona Crotoniatem ab Ariſtotele dicitur. 1. Metaphyſi. Cenſuit. n. pariter etiã hic in duas cõtrarietates res diſtingui debere. Differt tamen à Pythagora in eo, quod contrarietatum, ex quarum imitatione res fiunt, numerum non definiebàt, ſed quaſcũque pro ipſis aſſumebat, etiam album, nigrum, dulce, amarum) Sed Pythagoræ contrarietates ſecundum Ariſtotelem ſic habent.

Finitum	Infinitum
Impar	Par.
Vnum	Plura
Dextrum	Siniſtrum
Maſculum	Fœmineum
Quieſcens	Mobile
Lumen	Tenebræ
Bonum	Malum pro quibus contrarijs nonulli poſuerũt.

Intellectum & Senſum

Quadratum ex altera parte Longius.

Voluit itaq; Pythagoras primò ſignificare, quòd omnia à Deo pendeant per congruentes rationes, tum quòd ex perfecto & imperfecto, aut ex materia & forma omnia fiant. Vnum enim ordinem perfectionis, formæ & imitationis indicium eſſe voluit, alterum materiæ iunctæ priuationi & malo. Denique quòd omnia quæ generantur, ex contrarijs, cum contraria ſint principia, fiant. Quod ſi aliquando ab Ariſtotele dicitur, Pythagoram duo ſaltem principia poſuiſſe, Par nempe & Impar, intelligendum quòd his duobus reliqua ſubintelligere voluerit, ſiquidem hæ numerorum affectiones omnes numeros, item conditionem materiæ ſimul & formæ includant. Impar enim perfectionem denotat & conſtantiam, ſiquidem ex imparium omnium ſimul compactione quadratus ſemper, qui perfectus eſt, numerus, oriatur, minimè ex parium collectione. Si vnum & infinitum, alia pariter ſubintellexit, hæc autem

tan-

tanquã principia principalia expressit, quemadmodum proxima per duos ordines contrarietatũ decem denotauit. Omnia enim proximè ex materia & forma, quæ istis contrarietatum ordinibus denotantur constant. A Deo autem quem per vnũ intelligit, & à Materia quæ proxime Deum, vt binarius vnitatem, Imparem Par numerus, insequitur atque infiniti est origo nec non multitudinis ac diuisionis, omnia quæ sunt, tanquam à primis principijs, pendere videntur.

Porrò quia consimilis est Platonis sententia de principijs generationis, opinioni Pythagoræ, illam quoq; nunc declarare animus est. Hic ergo vt inconstantiã rerum perpendens multum Heraclito concessit, de moribus loquens Socratem imitatus est; ita in contemplatione eorum quæ vere sunt magnifecit Pythagoram. Idcirco vt vt varijs in locis varia pro principijs assumpserit, Magnum, Paruum, Vnum, Numeros & superficies, Infinitum &

terminum commiſcentem, quemadmodum legitur in Philebo. Nonnunquã, vt in Sophiſta, eſſentiam, identitatem, alteritatem, motum, ſtatum: attamen arbitratus eſt primum principium & caput numerorum, eſſe vnum & Deum. Poſt hunc poſuit Idæas, menti diuinæ inſitas (quando enim Idæas Plato formas puras & ſeparatas nominat, id reſpectu rerum corporearum & materiatarum dicit) nec â Dei eſſentia, nec inter ſe, re & ſubſtantia ſed ratione tantum & formaliter, (adeò vt vna vere negetur de altera, Homo enim non eſt equus, nec ab opifice per eam rationem producitur per quam equus) diſtinctas, per vniuerſam autẽ mentium latitudinem propagatas, ita tamen vt primò menti nõ participatæ conueniant, alijs ſecundariò atque per primam; vnde in his vocantur participatæ, & ipſarum in materia participationes, formæ rerum. Quapropter Idæa ſic definiri poſſet, quòd ſit exemplar æternum, rerum natura producibilium

bilium, in diuina mente collocatum, per quod cuncta à primo opifice prodeuntia ei offeruntur, & producuntur ab extra. Post Deum & Idæas nec non participationes Idæarum numerabat Plato locum, qui nunquam interit, cum omnibus quæ fiunt sedem exhibere debeat, intelligens per eum materiam, quæ locus est generationis & participationis Idæarum; quam insuper materiam Magnum & paruum nominabat, vt, quemadmodum in Cratilo monet, nomina rebus responderent. Materia verò prima, est quid indeterminatum conditionis indefinitę, solum nata terminari ab alio, Igitur & nominibus interminatis, cuiusmodi sunt in Prædicamento Quantitatis Magnum & Paruum, nec nō binis, denotari debuit, vt quæ nata est cum angustis tum latis terminis circumscribi & multitudinis ac diuisionis causa & origo, ceu binarius, existit. Pręterea his vocibus significabat Plato, quæ semper materiam tanquam ei coæternæ

comi-

comitantur, dimenſiones intermina-tas, quæ quantitatis & dimenſionum participatione definiuntur. Etſi enim nonnunquam imaginamur materiam tanquam dimenſionem quandam ina-nem, vnde & vacui nomine à philoſo-phis appellatur, tamen quando quan-titatem aduenire materiæ dicimus, non putamus, quaſi per eam tum ma-teria ex anguſto & indiuiduo loco in latum extendatur, nullibi enim tam contracta conſiderari poteſt, ſed id in-telligimus, quod cum prius non habe-ret mox habeat quantitatem. Inſuper ſignificat ijſdem, terminorum, quibus materia afficitur, Contrarietates; mu-tatur enim ex vno contrario in aliud tanquam ex Paruo in Magnum: Am-plius, materiam, quia non efficit, non format, potius neceſſarium aliquod appellandum, quàm principium arbi-tratur Plato, vt ex Phædone colligi-tur. Item, quia infra latitudinem for-marum, earumque vmbrarum, in qui-bus vniuerſa latitudo eius quod eſt

con-

consideratur, materiam positam esse videbat, vmbrarum tamen capacem, esse, idcirco non Ens, ad differentiam formarum, quas Entia dicebat, neque tamen nihil, appellabat. Quamobrem eam diuinitatis esse expertē, propria Idęa destitui aiebat, & solūmodo aliud siue infinitudinem, alteritatem, & locum, capacem imaginis idæarum, nominabat. Eandem per se intelligi natam non esse, sed quemadmodum cæteros actus, ita actum etiam cognitionis aliunde recipere, dicebat. Rursus quia in Materia formæ, participationes alterius sunt formæ, fiunt & desinunt; principia autem conueniat esse æterna, ne abolitis principijs reliqua quoque quę sunt, aboleantur. Igitur participationes Idæarum & formas in materia non principia, sed principiorum participationem dicebat. Identitatem verò essentiam, alteritatem, motum, & statum, genera rerum potius & communes essendi causas statuit, quàm principia generationis. Contra hos

ambos

ambos Platonem nempe & Pythagoram Aristoteles disputans Idæarum doctrinam tanquam erroneam repræhendere videtur, quemadmodum ex Ethic. Metaphys. & alijs locis pluribus cognosci potest. Aduersus verò Platoné multa præterea in .1. & 4. Physic. libris proponit, quæ tamen omnia potius loquendi modum quàm sensum verborũ & sententiam Platonis impugnant, cum vel de principijs per se, vel de principijs remotis excellentiorib⁹, non proximis & internè constituentibus, vel Metaphoricè loquatur Plato.

Ex ordine eorum qui plura sed numero finita posuere generationis principia, fuit etiã Empedocles Agrigentinus. Is enim ex sensibilibus quatuor Elementis per litem & amicitiam omnia fieri asserebat; Vt tamen infinitam quasi generationem seruaret, arbitratus est hæc sua principia, nempe quatuor Elementa, ex vna quadam natura simplicique secerni, ita tamen vt vicissim in eam contraherentur & rursus ex

ea

ea per litem separarentur, adeoque se-
parationis atque confusionis principi-
orum circulus daretur quemadmo-
dum videre est in carminibus eius quę
citantur. 8. physic. tex. 2.

Ηι̃ μὲν ἓν ἐκ πλειόνων μεμάθηκε φύεσθαι
Ἠ δὲ πάλιν διαφύντος ἑνὸς πλέον ἐκτελέθουσι
Τῇ μὲν γίγνονταί τε καὶ οὔ σφισιν ἔμπεδος αἰών.
Τῇ δὲ τὰ δ' ἀλλάσσονται διαμπερὲς οὐδ' ἅμα λήγει
Ταύτῃ δ' αἰὲν ἔασιν ἀκίνητοι κατὰ κύκλον.

Existimabat enim duos esse mun-
dos, qui statutis temporibus inter se
transmutarentur, vnum sphærum di-
cebat & Amicitiæ mundum, in quo o-
mnia concordi pace ligata essent, Al-
terum inimicitiæ in quo degimus,
quemque multiplici contrarietatum
discordia præditum iudicamus. Re-
gnante enim lite, res secerni ex priore
mundo aiebat, imperante amicitia
cuncta iterum in mundum amicitiæ
congregari. Hanc opinionem rectè A-
ristoteles. 1. de ort. & interitu & alibi
tanquam repugnantem cum euiden-

tia

tia rerũ, & ipſomet autore, reijcit, cum ſi intelligat vt verba ſonãt, meritò pro fabula, (quas tamẽ ſi admirationẽ continent non immerito etiam conſiderant philoſophi, delectationem enim ingenuam pariunt. 1. Metaphyſ.) habeatur. Præterea etiam materiæ tribuere videtur, quod totum rei eſſe largiatur, quamobrem repræhenditur ab Ariſtotele. 1. Methaphyſ. Poſſet tamen quodammodo ſaluari, ſi diceremus Empedoclem vt Pythagoræ ſectatorem, Deum appellaſſe mundum Sphęrum, in quo cuncta, ſemota omni contrarietate coniunctiſſimè includuntur, quique ſibi ſimilis eſt vt figura Sphærica, in qua idem principium & finis. Ab hoc pendent porrò alia quę in vniuerſo ſunt, in ortu, dum ipſius beneficio ſtatutis temporibus generantur; & viciſſim eadẽ, cum omnium ſit definitum æuum, in eum vt finem reuertuntur. Alexander 12. Metaphyſ. cap. 4. per ſphæram amicitiæ intelligit materiam, in qua omnia, poteſtate qui-

te quidem non actu, non vt in Deo primo omnium parente, sed tanquam in recipiente continentur. Ex hac & cœlum, (vt quod à reliquis Elementis non nisi puritate & impuritate distinguitur multorum opinione,) & Elementa, tanquam proxima principia rerum secernuntur, ex quibus post dominante amicitia per ipsorum contrarietatum conuenientiam res aliæ generantur, per litem autem & contrarietates pugnantes corrumpuntur & pereunt. Duplicem enim imaginari oportet litem, vnam præcedentem, quando ex materia prima secluduntur additis alijs alijsque contrarietatibus Elementa, quæ postmodum secreta, per amicitiam autem cum cōtrarietatibus vnita, seorsim subsistũt. Sequentem alteram, quando Elementa rursus, suis contrarietatibus se in excellentijs perimunt, donec in vnum iterum conspirent temperamentũ & mixti formam.

Nunc sequitur vt dicamus de ijs qui plura sed numero infinita princi-

pia generationis esse arbitrati sunt. Ex his fuerũt primò Democritus, Leucippus & Epicurus. Hi. n. inquiũt, in inani infinito per extensionem, infinitas, vel multitudine duntaxat ceu Epicurus, (quemadmodum Lucretius lib. 2. cecinit, & ex Alexandro Philoponus refert. Vel multitudine simul & figura (hanc enim species suorum Elementorum constituere dicebant, cæteras autem affectiones, calorem, frigus, candorem, nigredinem, illis reuera inesse negabant, nobis tamen quasi inessent videri, propter certarum athomorum figura differentium coniunctionem, aut mutatum ordinem vel situm earundem quando iunguntur, id quod exponit & docet Philoponus super. 1. de ort. & inter. comment. 2.) ceu reliqui, contineri atomos, h. e. corpora minima & propterea indiuidua (ne si in alia resoluerentur pro posterioribus non pro primis haberentur principijs) genere eadem, numero, propter infinitam rerum generationem, infini-

ta.

ta, σχήματι ἢ ῥυσμῷ (alia enim, rotunda, angularia, quadrata alia dicebant) in se, vnde varietas rerũ essentialis, τάξει ἢ διαθιγῇ τε καὶ θέσει ἢ τροπῇ in cõpositis differentia, quę ob grauedinẽ qua sunt prędita per naturã suam, continenter descendũt (mediũ.n.ad ꝙ ferri deberẽt in infinito nullũ datur, vt 1. lib. canit Lucretius) rectà absolutè, quemadmodũ Democritus & Leucippus inquiũt; inclinant autẽ leuiter, ceu Epicurus, quo faciliorem ipsorum occursum ad inuicem denotaret, & nedum rectorum verum etiam obliquorum motuum principia esse doceret, censuit. Has porrò atomos aiunt sibi mutuo occurrentes, tactu, positione & ordine corpora omnia constituere, mundosque varios producere, qui crescant ac decrescant & reficiantur iterum infinities: Cœlos etiam ex earum conspiratione ferri volunt, & per cœlorũ hanc reuolutionem casu contingentem, secerni ac in ordinem redigi vniuersum.

Contra hos Aristoteles. 1. de ortu

& inter. nec non. 1. Metaphyſ. multa. Et profectò plurima continet hæc doctrina abſurda, nempe de figura in indiuidui ſubiecti corpore, de infinito, de vacuo, multitudine & ortu mundorum, quorum plurima ab Ariſtotele examinantur in opinione Anaxagoræ, 1. Phyſ. Niſi forte Metaphorice exponeretur de mundo ſenſibili, h.e. homine & animalibus, aut ſubordinatis mundis, intelligibili, ſenſibili, æthereo, Elementari; tum enim ad bonum poterit quodam modo reduci ſenſum.

Anaxagoras verò ſimiliter infinita numero principia eſſe dixit, ſed contraria etiam, nempè ſimilares partes, vt pote carnem, oſſa & alia quorum vniuscuiuſque vniuoca pars eſt, ita tamẽ vt illarum partiũ quælibet omnes alias infinities in ſe contineret, ne videlicet ſegregatio quam vocabat generationem rerum exiſtentium, deſineret; Ex nihilo enim adeoque non præexiſtente nihil, ne dum quodlibet ex quolibet produci, (quemadmo-

dum

dūm tamen videmus non ex carne modo, ſed ſanguine etiam, carnem, quin & oſſa, imò ex Elemētis omnia fieri) poſſe cenſebat. Segregatio rurſus ab eo fieri debebat quod nō modo mixtionis eſſet expers, vt mixtis prædominari & quodlibet latentis particulæ educere valeret; ſed & intelligens, vt ſecernere nempe & in ordinem redigere alia poſſet, talis porro erat mens diuina quam præficiebat ſegregationi. Cęterum cum videret Anaxagoras ſibi obijci poſſe, hoc modo nullius rei poſſe certum conſtitui nomen, cum non minus ſit hoc quàm aliud, præterea conſpectum iri omnia in quolibet, quia inſunt, quæ omnia experientiæ repugnant; Reſpondet mox, non conſpici propter molis paruitatem, certis vero nominibus vocari propter prædominans. Ex quo rectè collegit Aegidius id, ꝙ de Anaxagora dicit, nempe eum duo corporum ſimilarium genera poſuiſſe; quædam, quæ talia ſunt ſecundum veritatem, alia quæ talia

ſunt ſecundum apparentiam. Ea porro quæ erant ſecundum veritatem talia, nunquam inueniri per ſe exiſtentia & ſeparata arbitrabatur, ſed ſemper alijs coniuncta eſſe. Ea autem quæ ſecundum apparentiam talia ſunt, per ſe exiſtere & ſeparata putabat. Ideo aurum, carnem, ignem, aquam, quæ apparent per ſe exiſtentia, nõ rebatur purè talia eſſe qualia apparent, ſed ex vere ſimilaribus compoſita & mixta. Hæc ſententia multis rationibus refutatur à philoſopho. 1. phyſ. Et profectò per id dunxtaxat abſurda ſatis apparet, quòd non vnum chaos, ſed infinita talia confuſa eſſe pronunciat, dum in quolibet quodlibet infinities latere & preexiſtere aſſerit. Si tamen exponeretur de Deo intellectu & materia, quemadmodum de his diſſerit Ariſtoteles. 1. de Anima 48. 3. de anima. tex. 4. 8. phyſ. 36. 2. de Anima 12. Item 11. Metaphyſ. 9. fortè haberet aliquid veritatis. In materia enim omnia latenter reperiuntur & potentia, nec vnquam

quam cessat formę ex ea secretio, quẽadmodum nec primi motoris actio cessat. Istæ verò potentiæ sunt quasi inchoationes formarũ, quia mediant inter penitus non esse & actu esse. Alio etiam modo exponit sententiam Anaxagoræ Simplicius, de vnitate nempe intelligibili, id est, Idæali mundo, in quo omnia sunt, & à quo per mentem fit secretio huius mundi sensibilis, quam sententiam illustris comes Picus Mirandula exponens inquit: Significauit Anaxagoras ordinem mundorum, & inferioris à superiori emanationem. Cum enim detur mundus intelligibilis, æthereus & Elemẽtaris, & in singulis sint omnia, ijsque præsit mens diuina, mox munere mentis omnia in lucem explicãtur, nec tamen ob continuatã mundorum distributionẽ vel mundi intelligibilis vel ætherei aliquid minuitur, sed semper æquè fæcundi seruantur. Placet tamẽ magis prior nostra expositio. Hactenus de ijs qui plura, numero tamẽ infinita dixere esse generationis principia. Cæ-

Cęterũ partim vnum partim plura principia poſuerunt, Parmenides, Anaxagoras, Empedocles, Anaximander. Empedocles quidem vnum dixit eſſe principium, quatenus in mundo amicitiæ cuncta, ex quibus res oriri poſſunt, ineſſe iuncta & complicata, ſine tamẽ cõtrarietate, hinc.1. de Gener. & corrupt. in fine tex.2. dicit Philoſophus οὐ γὰρ δὲ πῦργε καὶ ὕδωρ, καὶ γῆ ὄντα ἑνὸς ἦν τὸ πᾶν, &c. ſtatuit; plura vero quatenus vnum illud ex quatuor Elementis, tanquam prioribus & ſimplicioribus eo quod ex ipſis fit, oriri affirmat. Sed hic dubitatio exoritur non leuis quo modo dicamus Empedoclem vnum poſuiſſe principium ſimplex, vniforme, cum tamen Elementa per ſecretionem tantum non transmutationem ex illo generari aſſeruerit.1. de ortu enim tex. 2. dicitur de Empedocle ὅτι δὲ ἐξ ὧν εἴρηκε δυνάμενα προσγίνεσθαι καὶ χωρίζεσθαι, &c. Sed vbi ſecretio, ibi præexiſtunt ea quæ ſecernuntur actu. Vnum igitur illud, non erit vniforme ſed difforme, compoſi-

tum

tum ex Elementis quatuor. Numquid hęc ita sunt, sed propterea Empedocles suis dictis contraria protulit, quamobrem inscitiæ & contradictionis accusari iure potuit, quod non viderit, absurditatemque suarum conclusionum non intellexerit? Igitur Aristoteles non id sed aliud colligit, nempe quia ex vno quatuor elementa generantur, igitur per transmutationem & superuenientes differentias essentiales & passiones: Vel ergo voluit Empedocles generationem Elementorum esse transmutationem, vel Aristoteles nouam ipsi affingit de suo opinionem? At non hoc facit Philosophus, sed veram deducit ex præmissis ab Empedocle concessis conclusionem, eamq; ostendit cum Empedoclis consequentia pugnare. Imo hanc non verè deduci, illam autem quæ necessario consequitur repugnare alijs Empedoclis opinionibus docet. Id ꝙ confirmat D. Thomas inquiens in expositione tex, 3.1. de ortu. Empedocles ponit per secretio-

nem fieri magis ex illo vno & quan-
dam diſſolutionem Elementa quatu-
or. Ariſtoteles tamen in præcedenti
ratione probat quòd neceſſe eſt Ele-
menta fieri non per ſegregationem ſo-
lam, ſed per quandam transmutatio-
nem ſuperuenientem, &c. Et Ariſtote-
les ipſe tex. 3. 1. de ortu inquit: *ἄδηλον δὲ καὶ τὸ πότερον ἀρχὴν αὐτῶν θετέον τὸ ἓν ἢ τὰ πολλά.*
Et paulo ante *καὶ ὅτι λέγουσι τὸν τρόπον τοῦτον ἀναγκαῖον καὶ τούτοις τὴν ἀλλοίωσιν εἶναι μέν τι φάναι παρὰ τὴν γένεσιν; ἀδύνατον μέντοι κατὰ τὰ ὑπ' ἐκείνων λεγόμενα.* Anaxagoras Chaos poſuit
principium & ſic vnum. At illud v-
num in ſimiles partes & contrarias
tanquam proxima principia diſtin-
guens plura reipſa conceſſit. Vnde
conſpicuū eſt cur Ariſtoteles tex. 32. 1.
phyſ. & tex. 2. 1. de ortu & inter. dixe-
rit differre Empedoclem & Anaxago-
ram. Hic enim, multa illa inexiſtentia,
numero infinita, & multiplici contra-
rietate primarum & ſecundarum non
tangibilium qualitatum diſtincta;
Ille, finita numero, quatuor nempe E-
lemen-

lementa ſecundum primarum atque tangibilium qualitatum contrarietatem diſtincta, poſuit. Præterea Empedoclem oportebat aſſerere, reiterari ſæpiſſimè cum ſecretionem Elementorum ex vno, tum mixtionem eorundem in vnum, adeoq; multoties mundum ſenſibilem fieri & corrumpi, vt perpetuitatem generationis ex numero finitis principijs ſaluaret; quę neceſſitas non vrgebat Anaxagoram, vt qui infinita ineſſe, non in chao modo, ſed etiam in ſegregatis ex chao infinities aſſerebat. Quare ſemel facta ex chao ſecretio ſufficiebat ad perpetuitatem generationis, nec neceſſaria videbatur in chaos rerum denuò confuſio. Demum Empedocles quatuor Elementa vt per ſe exiſtentia & ſeparata apparent, principia dicebat, quia ſimplicia. Atqui Anaxagoras ea compoſita aſſerebat ex ſimilaribus partibus, tanquã omniũ rerum ſeminib9, & proinde πανσπερμίαν τούτων, τὰ δὲ ὁμοιομερῆ ἁπλᾶ καὶ στοιχεῖα vocabat. Anaximãder verò vnum con-

ceſſit

cessit principium; nempe infinitùm istud corpus, quod igne densius, aëre verò rarius est, & medium inter Elementa. Plura verò asseruit, quando in illo vno omnia inesse dixit, ex quibus inexistentibus contrarijs & diuersis, res per secretionem generari censuit. Quapropter hunc à reliquis distinxit loco citato Aristoteles, quod principium potius vnum quàm plura, vniusque potius, nempe intermedij inter Elementa corporis, nomine describere voluerit & exprimere, quàm plurium, quemadmodum Empedocles & Anaxagoras, ille nominibus Elementorum Litis & amicitiæ, hic nominibus similium partium & confusi ex illis. Parmenides deniq;, secundum rationem & substantiam, omnium vnum quidem esse principium concedebat, quemadmodum supra ostendimus, ad sensum vero, vt res differunt accidentibus, ita plura quoque, præcipuè vero duo, calidum & frigidũ, existere principia affirmabat.

Hæ

Hæ ſunt præcipūæ & illuſtres antiquorum Philoſophorum de principijs generationis rerum opiniones, quas Ariſtoteles partim in ſententia, partim in verbis emendauit, correxit, expoſuit. Qui plura de his ſcire volet, legat Diogenem Laertium, Plotinum, Alexandrum Aphrodiſæum, Simplicium & alios.

FINIS.





IENÆ.

EXCVDEBAT TOBIAS STEINMAN.

ANNO M. D. LXXXV.

